BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
160
B
51
NAPOLI

DE

SIBYLLIS

SEU

ETHNICORUM PRO CHRISTIANA RELIGIONE

TESTIMONIUM.

AUCTORE

ARTHURO WOLYNSKI

SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORE.

E R

PARISIIS.

STEPH. REPOS, eques torquatus Sancti Sylvestri,

BIBLIOPOLA-EDITOR OPERUM :

« La France pontificale et la Cour de Rome »

propagator librorum liturgicorum,

70, via Bonaparte, 70.

E. REPOS, LIBRAIRE-EDITEUR, 70, RUE BONAPARTE, PARIS.

LIVRES DE PLAIN-CHANT.

EDITION DITE DE DIGNE DONT JE SUIS PROPRIÉTAIRE.

Antiphonaire, Graduel et Peautier, 3 vol. in-fol. rel. (p. lutrin), net: 135 fr.
Graduel et Vespéral, 2 vol. in-4°, reliés, net : 30 fr.
Graduel, Vespéral et Quinzaine de Pâques, 3 vol. in-12, rel., net : 14 fr.
GRADUEL-VESPÉRAL romain, en un *seul* volume in-12, relié solidement (imprimé en caractère neuf et fondu exprès), prix *net* : 5 fr. 50.
Office des Morts, complet et noté, messes et ordre des funérailles, suivi du cérémonial de l'inhumation, des absoutes et des funérailles des enfants. 1 vol. in-12 cartonné, 1 fr. 50
Offices notés de la Quinzaine de Pâques, 1 vol. in-12 relié, 4 fr.
Cantus diversi, extraits des livres ci-dessus, in-12, cartonné, net : 1 fr. 25.
Paroissien des fidèles, 1 vol. in-18, relié, net : 2 fr.
Eucologe, *tout latin*, à l'usage de tous les diocèses qui suivent le *rit romain*. 1 vol. de 720 pages in-18, relié, net : 2 fr. 25.
Grand Eucologe romain, latin-français, à l'usage de tous les diocèses. 1 magnifique volume in-18 de plus de 1200 pages, relié, net : 3 fr. 75 c.

Ces nouvelles éditions de chant, réimprimées avec des caractères neufs sur beau papier, sont très-complètes; elles ont subi de grandes améliorations, et elles reproduisent fidèlement les leçons les plus universellement répandues depuis le XVIe siècle. La mélodie se trouve d'accord avec les plus anciennes.

EDITION DITE DE DIJON DONT JE SUIS ENCORE PROPRIÉTAIRE.

Antiphonaire et Graduel romain, grand in-f° pour lutrin, avec les rubriques en français, augmentés de tous les Offices nouveaux concédés par la Cour de Rome. 2 v. solid. rel, scellés avec *coins, clous et fermoir* en cuivre, net: 100 fr.
Graduel romain. Edition correspondant aux livres de lutrin, augmentée de l'*Office noté de la quinzaine de Pâques* et des nouveaux Offices. 1 gros vol. in-12 relié. 5 fr.
Vespéral romain. Edition correspondant aux livres de lutrin, augmentée de l'*Office noté de la quinzaine de Pâques*. 1 vol. in-12 relié. 5 fr.
Processionnal romain, ou Recueil de répons, hymnes, antiennes et autres prieres qui se chantent aux processions. 1 vol. in-12 relié. 3 fr. 50 c.
Chants divers extraits du *Graduel* et du *Vespéral* romain. In-12 cart. 1 f. 25.
Office des morts complet et noté; messes et ordre des funérailles, suivi du Cérémonial de l'inhumation, des cinq absoutes et des funérailles des enfants In-12 cart. 1 fr. 50 c.
Missel des morts noté. In-4° cart. 3 fr. 50 c.
Passions notées. In-4° cart. 3 fr. 50 c.
Le Livre des Epitres et des Évangiles, avec les signes d'inflexion. Belle édition in-4°, relié, net : 7 fr.
Missel romain. Belle édition illustrée de vignettes pour l'encadrement, imprimée sur papier fabriqué à la main, augmentée du nouvel *Office de l'Immaculée Conception*. In-4°, doré sur tranches, reliure solide. 25 fr.
— *Le même*, en chagrin noir. 30 fr.
— *Le même*, en maroquin rouge. 40 fr.
Manuel des enfants de chœur, par l'abbé Cochain. In-18 cart. 1 fr.
Paroissien romain, à l'usage de tous les diocèses. Dernière édit. Rel. 2 fr.
Eucologe, *tout latin*, à l'usage de tous les diocèses qui suivent le *rit romain*. 1 vol. de 720 pages in-18, relié, net : 2 fr. 25.
Grand Eucologe romain, latin-français, à l'usage de tous les diocèses. magnifique volume de plus de 1200 pages relié, net : 3 fr. 75.

GRAND CHOIX DE MUSIQUE POUR ORGUE OU HARMONIUM.

Revue de musique sacrée (10e année), 18 vol. texte et musique. 120 fr.
Bibliothèques des petites Maîtrises. 40 vol. in-8°. 200 fr.
Union des Cathédrales. 20 vol. in-8°. 100 fr.
Anthologie de Musique sacrée. 13 vol. in-8°. 65 fr.
Nouveau répertoire à l'usage de l'Eglise et du Séminaire Saint-Sulpice. 2 vol. in-8°. 24 fr.
Musique d'Eglise des maîtres des XIIIe, XIVe, XVe, XVIe, XVIIe, XVIIIe et XIXe siècles, pour chant, pour orgues ou harmonium.

TEOLOGIA POLEMICA
160
B
51.
BIB.NAZ.NAPOLI

DE

SIBYLLIS

SEU

ETHNICORUM PRO CHRISTIANA RELIGIONE

TESTIMONIUM.

Digitized by Google

Propriété réservée.

DE

SIBYLLIS

SEU

ETHNICORUM PRO CHRISTIANA RELIGIONE TESTIMONIUM.

AUCTORE

ARTHURO WOLYNSKI

SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORE.

E R

PARISIIS.

E. REPOS, Chevalier de l'Ordre de Saint-Sylvestre,

LIBRAIRE-ÉDITEUR

DE LA FRANCE PONTIFICALE, DE LA COUR DE ROME, ETC.

70, rue Bonaparte, 70.

GUSTAVO ADULSCHO

EX PRINCIPIBUS DE HOHENLOHE

OLIM ARCHIEPISCOPO EDISSENO

S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI

VIRO

RELIGIONE, PIETATE AC MUNIFICENTIA

SPECTATISSIMO

PERTENUE HOCCE OBSEQUENTISSIMI GRATIQUE

ANIMI ARGUMENTUM

ARTHURUS WOLYNSKI

SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTOR.

D. O. D.

Digitized by Google

Eminentissime Princeps!

Inter tot Sacri Collegii membros, quos, plurimis annis Romæ commorans, viros Religione, castimonia morum, pietate, quibuscunque virtutibus, doctrina, omnique scientiæ genere præstantissimos cognovi, certe Eminentissime Princeps Apostolici Senatus decus ornamentumque constituit et magnanimitate, benignitate ac generosa munificentia suam altam originem dignitatemque justificat.

Quare tam sublimis animi cordisque qualitatibus permotus, benevolentiæ memor gra-

titudine ductus opusculum meum, Deipara Virgine, quæ Laureti colitur, auspice confectum, Eminentiæ Vestræ dedicare magnopere desidero, meque, cum Eminentissimus Princeps benigne proposito meo annuere dignabitur, felicissimum censebo.

Inclinatus nunc ad Pastoralis Annuli Purpuræque osculum, maneo

EMINENTISSIMI · PRINCEPIS :

Humillimus, obedientissimus atque obsequentissimus famulus.

ARTHURUS WOLYNSKI,

S. Theologiæ Doctor.

Datum Laureti, die 10 Decembris, anni 1869.

ARTICULUS PRIMUS.

NOTIO GENERALIS.

§ I. — *Definitio.*

1. — In omni scientia doctrinaque a definitione rei circa quam illæ versantur incipitur, quare et nobis more hoc ductis ad vacillationes fugiendas omnique æquivoco in posteriorum quæstionum exhibitione fores claudendas, claram Sibyllarum sub aspectu definitionem ante omnia ponere præstat.

2. — Si inspiciamus Sibyllam in sua etymologica origine, vox hæc ex idiomate græco provenit : Θεός vel melius ex dialecto Æolico Σιός quod Deus, et βουλὴ quod consilium et scopum significet, et in hoc casu nomen

Sibyllæ exprimit *consilium Dei*. Alii nomen hoc derivare ex verbis græcis : Σιός Deus, et βυλλή plenus et per Sibyllam *plenam Dei* exprimere volunt. Ita Lactantius Institutionum divinarum lib. 1, cap. 6, hac in materia sentit. « *M. Varro quo nemo unquam doctior ne apud Græcos quidem, nedum apud Latinos in libris rerum divinarum, quos ad C. Cæsarem pontificem maximum scripsit : Cum de quindecim viris loqueretur Sibyllinos, ait, libros non fuisse unius Sibyllæ, sed appellari uno nomine Sibyllinos, quod omnes fœminæ vates, Sibyllæ sunt a veteribus nuncupatæ, vel ab unius Delphidis nomine, vel a consiliis Deorum nuntiandis* σιούς *enim Deos non* θεούς, *et consilium non* βυλλην *sed* βούλην *appellabant Æolico genere sermonis. Itaque Sibyllam dictam esse quasi* Θεο βούλην. » S. Hieronymus lib. 1° cont. Jovinianum eandem protulit sententiam, loquens. « *Quid referam Sibyllas Erythræam atque Cumanam et octo reliquas (nam Varro decem fuisse autumat), quarum insigne meritum et virginitas est, et virginitatis præmium divinatio. Quod Æolici genere sermonis Sibylla* Θεοβούλην *appellatur recte consilium Dei sola scribitur non virginitas* (1).

(1) Nonnulli cum Cornelio a Lapide censent : « *Sibyllam fuisse priscam Hebræorum Kabulam sive Kibyllam (unde Sibylla) id est : doctrinam a patribus traditione acceptam; Kabel enim hebraice significat accipere, recipere, excipere ab alio, inde Kabula vel. Sibylla est* παράδοσις *sive patrum traditio, quam Noe a priore sæculo acceptam posteris post diluvium tradidit.* » Com. in Gen., cap. 7, v. 7.

3. — Præscindenda igitur quæstione, an in prima vel secunda interpretatione vera origo nominis invenitur, seu an per Sibyllam intendendum est *consilium Dei*, vel *plenitudinem Dei?* quoad rem Sibyllæ significant : *Fœminas virgines, quæ longe ante Christum inter Gentiles vixerunt, et aliquo supernaturali lumine instructæ, suis populis non solum futuros eventus prædixerunt, sed etiam ipsum generis humani Salvatorem annuntiarunt.* Ideoque Sibyllæ veluti vates et nuntii cœlestes, ipsarumque scripta veluti libri dovini a veteribus populis scriptoribusque æstimabantur et Hēraclitus, teste S. Clemente Alex. eas non humanitus sed divinitus apparuisse, putavit. Sancti autem Patres Ecclesiæ non hæsitabant ipsis prophetissarum nomen tribuere ac vaticinandi gratiam ex insigni merito virginitatis semper ab ipsis libere ac voluntarie conservatæ repetunt; ita loco citato S. Hier. ac S. Theophilus Antioch. ad Antolicum libro 2 (vide N. 79).

§ II. — *Scripta Sibyllarum.*

4. — Sibyllæ vaticinia sua vel alta tantum voce pronuntiabant et ea adsistentes litteris mandabant, ut deducitur ex testimoniis Platonis in Phedro (vide N. 89) et S. Justini Martyris in Oratione Parænetica ad Gentes (vide N. 90), vel jam exarata populis tradebant, ut ex historia Tarquinii Superbi patet. Vaticinia Sibyllarum uno vel altero modo confecta, omnia tamen versibus hexametricis

ac idiomate græco scripta, ideoque *carmina Sibyllina* nuncupata, cito inter ethnicos divulgabantur et sive per millenarias copias, sive per cantum late longeque propagabantur, dein cum veneratione cultuque conservata, atque a generatione in generationem transmissa usque ad nos, quidem non sine magna permutatione, pervenere.

5. — Omnia carmina Sibyllina collecta et in octo libros distributa, prius thypis mandata fuere anno 1585 Basileæ. Dein ea ex Græco in Latinum transtulit Sebastianus Castalionis (Chatillon) et suam versionem Augustæ Vindelicorum 1596 publicavit. Eum secutus est Opsopée, qui denoviter carmina Sibyllina Parisiis anno 1607 in lucem edidit. Sed omnium correctissimam plenissimamque editionem confecit Gallæus Amstelodami 1689. Denique carmina Sibyllina inveniuntur in Bibliotheca Patrum editionis Coloniensis, Londinensis, et Parisiensis. Ultimis temporibus clarissimus cardinalis Majus (Maï) novos libros Sibyllinos in Bibliotheca Vaticana : 11, scilicet, 12, 13 et 14 detexit, eosque in sua *Collectione Scriptorum Antiquorum* tomo III° Romæ an. 1828 thypis mandato, reproduxit.

§ III. — *Historia Carminum Sibyllinorum.*

6. — Ex imo cordis principio Ciceronis « *historia testis temporum, lux veritatis* » adhærentes, oportunum, tum ad criticem nostram super carminibus Sibyllinis recte

constituendam, tum ad multas in præsenti pertractatione elucidandas quæstiones erroresque demonstrandos, censemus fore, ut historia carminum Sibyllinorum narretur. Ne autem historia nostra erroribus fabulisque, exhibendo præcipue poëticas quidem, sed mirabiles antiquorum populorum traditiones, afficiatur, eam tantum, quam ex coëvis scriptoribus contextere possumus, prodere sibi proposuimus. Ideoque nostro officio credentes parere, solam historiam, quæ apud Romanos carminibus Sibyllinis inciderit, recensebimus; quia primo loco talis fastorum in nostra materia est sufficiens narratio, dein quia historia Romana certos omnibusque extravagantiis alienos Sibyllarum carminum annales complectitur.

7. — Circa annum 514 ante Ch. N. (sc. 240 ab urbe condita) quædam ignota atque extraordinaria venit mulier Romam et Tarquinio Superbo tunc regnanti novem volumina suis versibus conscripta, postulans in pretium 300 Philippos (aureos), obtulit. Cum tam caro emere mercem oblatem princeps recusavit, illa statim tres libros in ignem projecit et sex reliquos eodem pretio exhibuit. Tarquinio hac de re ridente, Sibylla quin aliquid diceret, adhuc tres libros igni injecit ac pro tribus remanentibus voluminibus statutum pretium postalavit. Ad rei novitatem misterium inesse aliquod suspiciatus est Tarquinius, quare Augures accidi jussit, ea de re cum illis deliberaturus. Statim igitur coram Rege comparuere, atque intelligere se ex notis quibusdam

signis, Deorum munus recusasse Principem, prodiderunt, quem non sine ingenti dispendio abjecisse novem illa volumina dolebant, ideoque rogarunt obsecraruntque ut saltem tria reliqua quoquo tandem pretio emeret. Quare Tarquinius soluto designato pretio, tres libros a Sibylla accepit, quæ ipsum monuit, ut pretiosi depositi loco illi, veluti futuros eventus Romanis anuntiantes, conservarentur. Reapse Tarquinus tria illa volumina in arcula quadam lapidea recondita sub cameram aliquam subterraneam in templo Jovis Capitolini inferri jussit, atque duobus optimatibus dictis *Duumviris*, tam ad custodiendum ne ab quocumque legerentur et describerentur, quam ad interpretandum si senatus ea temporibus arduis consulere censueret, commisit.

8. — Non me latet, quod Suidas ac Lactantius cap. 6, lib. 1° Justit. Divin. aliique scriptores horum auctorum auctoritatem sequentes asserant : Sibyllam Cumanam non Tarquinio Superbo sed Tarquinio Prisco suos codices obtulisse, attamen meam opinionem superius expositam defendo atque sustineo ex duplici ratione, et quidem : 1) de oblatione carminum Sibyllinorum facta Tarquinio Superbo unanimiter loquuntur historici romani, ut Plinius, Dionysius, C. J. Solinus, Gellius, lib. 1. cap. 19 Servius Honoratus, quorum testimonium Plinii, ut alia omittam, recensebo. C. Plinius, Hist., lib. 13, ait : *Inter omnes convenit (Varro) Sibyllam ad Tarquinium Superbum tres libros attulisse. Ex quibus igni duo cremati ab ipsa, tertius cum capitolio Syllanis tempori-*

bus. 2) Omnes indiscriminatim auctores vix empta volumina Sibyllina statim in templo Joris Capitolini reposita fuisse, tradunt : Atqui a Tarquinio Prisco vix anno 583 ante Ch. N. inhoctum fuit templum Capitolinum ex voto tempore belli Sabini Jovi facto et reapse constructum atque dedicatum fuit a Tarquinio Superbo anno 512. Ergo standum est opinioni uti probabiliori, quæ tenet : Sibyllam circa an. 514 ante Chr. N. Romam venisse atque Tarquinio Superbo suos codices vendidisse, qui eos in templo Capitolino hoc tempore quasi jam exstructo reposuit.

9. — Dionysius Halicarn. lib. 8, Antiqu. Rom., et Valerius Maximinus lib. 1, cap. 13, referunt : Attilium Duumvirum tempore Tarquinii Superbi supplicio paricidæ affectum fuisse, insutum, scilicet, in culeum et mari injectum; quia carmina Sibyllina suo amico tradidit eique describere permisit.

10. —Tempore Reipublicæ Romanæ ad propositionem C. Licinii Calvi Stolonis et L. Sextii tribunorum populi anno 368 et 367, ante Ch. N. custodia carmirum Sibyllinorum commissa fuit Decemviris, quorum quinque ex Patritiis, quinque ex populo eligebantur (Vide : *Annales romaines.* Paris, 1756, n. 386, et *Dictionnaire de biographie, mythologie, géographie anciennes*, du docteur Smith, traduit par M. Theil, Paris, 1865). Denique tempore Ciceronis custodes carminum Sibyllinorum multiplicati sunt et a suo numero vocati *Quindecimviri*, qui usque ad incendium templi Apollinis Palatini commissa

ipsis scripta conservabant (Fenestella, lib. *de magi_tratibus.* Cicero *de divinatione,* lib. 1, *Hist. Gellii,* l. 1, cap. 9). De quindecemviris Ausonius poëta latinus circa annum 310, natus Burdigalæ (Bordeaux), ibique dein rhetorices professor, in suo *Grypho* ita canit :

> Atque trifatiduæ nomen commune Sibyllæ,
> Quarum tergemini fatalia carmina libri
> Quas *ter quinorum* servat cultura *virorum.*

11. — Bello civili Syllam inter Mariumque durante, nocte 6 Julii anno 84 ante Ch. N. 670 ab urbe condita, L. Cornelio Scipione Asiatico et C. Jun. Norbano consulibus, 153 Olympiade, auctore incognito templum capitolinum cum libris Sibyllinis igne consumptum est. (Dion. Hal., *Annales rom.*, lib. 4; *Annales rom.*, par Philippe Macquer. Parisiis, 1756). Post aliquod annos Scribonio Cicerone et L. Octavio Coss. an. 678 ab urbe condita, 76 ante Ch. Erythros Senatus Romanus misit tres legatos : P. Gabinium, M. Octacilium et L. Valerium, ut omnis curæ diligentiæque impendio apud privatos cives versus Sibyllinos exstantes colligerent. Reapse T. Varrone et Fenestella testantibus, quos Lactantius, cap. 6, lib. 1, Inst. Div. refert, versus diversos circa mille græce conscriptos Romam adtulerunt. Sed paulo post, petentibùs Samo et Ilio civibus Erythris missi sunt legati in Siciliam, Africam aliasquè Italicas colonias, ut omnia cujuscumque Sibyllæ carmina colliregerent Romamque deferrent (Tacitus, *Annales*, lib. 5; Dionis, *Hist.*, lib. 54; Sue-

ton. in Oct. Aug., c. 31). Multa igitur carmina delata et jussu Augusti imperatoris, Lentulo et Marcellino Coss. ab urbe condita 736 anno, 18 autem ante Ch. natum, sacerdotum negotio recognita, vera a falsis excerpta atque expurgata, denique in templo Apollinis Palatini deposita fuere, prohibitumque simul fuit, ne privati cives legere, habere vel possidere carmina Sibyllina auderent. Prætermisis Taciti et Dionis testimoniis, solum Suetonium in Oct. Aug. c. 31, purgationem Sibyllarum narrentem, loco hoc adducimus. *Postquam vero pontificatum maximum, quem unquam vivo Lepido auferre sustinuerat, mortu demum suscepit, quidquid fatidicorum librorum Græci Latinique generis, nullis v. parum idoneis auctoribus vulgo ferebatur, supra duo millia contracta undique cremavit ac solos retinuit Sibyllinos, hos quoque delectu habito condiditque duobus forulis auratis sub Palatini Apollinis basi.'*

12. — Carmina Sibyllina denoviter examinata, discussa atque probata sunt anno 34 æræ vulgis scilicet : anno, quo Acta Pilati de Passione Christi Romam delata fuerant sub Tiberio imperatore, Domitio Ænobarbo et Camillo Scriboniano Coss. occasione quorumdam Sibyllinorum carminum recenter inventorum. Hac de re ita Tacitus, Annales, lib. 5, narrat. : *Relatum est inde ad Patres a Quintiliano tribuno plebis de libro Sibyllæ, quem Caninius Gallus quindecimvir recipi inter cæteros ejusdem vatis et de ea re Senatus consultum postulaverat : Quo per discessionem facto, misit litteras Cæ-*

sar modice tribunum increpans, ignarum antiqui moris obinventum. Gallo exprobrabat, quod scientiæ cærimoniarumque vetus, incerto auctore ante sententiam collegii, non ut assolet, lecto per magistros æstimatoque carmine apud infrequentem Senatum egisset. Simul commonefecit, quia multa vana sub nomine celebri vulgabantur, sanxisse Augustum, quem intra diem prætorem Urbanum deferrentur, neque habere privatim liceret : quo a majoribus quoque decretum erat, post exustum sociali bello Capitolium, quæsitis Samo, Ilio Erythris per Africam etiam ac Siciliam et Italicas colonias carminibus Sibyllæ, una seu plures fuere; datoque sacerdotibus negotio, quantum humano opere potuissent vera discernere. Igitur nunc quoque notioni Quindecimvirum is liber subjicitur.

13. — Antonius Pius Imp. auguribus aliisque ethnicis sacerdotibus persuasus, multos a patria superstitione deficere, et ad Christianam religionem confluere, ea potissimum ratione quod Christiani, ab ipsis Sibyllistæ vocati, libris Sibyllinis abutantur, demonstrando populo eorum magistrum Jesum Christum esse a Sybillis prædictum, exacte depictum atque indicatum, anno 143, sub consulatu Prisci et Severi ejusmodi penitus librorum lectionem, apposita mortis pœna, vetuit. Quare S. Justinus martyr strenue, suam ad Antonium Pium scribens apologiam secundam, edictum hunc refutavit. « *Opera autem malorum geniorum, mors constituta et definita est in eos, qui Hystaspis v. Sibyllæ, v. pho-*

phetarum vatumque libros legunt, ut metu homines qui legunt abducant ab eo, ne rerum bonarum cognitionem accipiant, sibi autem servos eos detineant, quod quidem tandem perficere minime potuerunt. Nam non solum sine metu eos legimus, sed vobis quoque, ut videtis, considerandos afferimus, quod exploratum habemus fore, ut ea, quæ omnibus grata sunt, appareant. Quod si paucos in nostram sententiam adducimus, maximum lucrum reportabimus; nam ut boni agricolæ præmium feremus (Bibliot. Patrum editio Coloniensis). »

14. — Hanc cum Christianis agendi rationem in legendis libris Sibyllinis omnino mutavit Constantinus Magnus, qui primus imperatorum Christi Ecclesiæ nomen suum dedit. Imperator iste non solum in oratione ad Patres Nicœnos an. 325, habita, celeberrimam ex Græco in Latinum a Cicerone translatam acrostichidem : *Jesus Christus Dei Filius salvator mundi*. (Vide N. 105) ad veram fidem probandam allegavit, sed etiam ecclesiasticis vivis scriptoribusque Christianis ad libros Sibyllinos accessum dedit, ipsorumque plenum atque liberum studium relinquit ac promovit.

15. — Quare Julianus Apostata, ut in suo imperio religionem Christi funditus extorqueret, præter alios plurimos iniquos atque impios conatus, omnem movit lapidem, ut codices Sibyllinos nunc undique diffusos destrueret; imo, ut ipsorum autenticum cum cultu atque Gentilium veneratione in templo Apollinis Palatini

conservatum exemplar interiretur, illud incendio deleri jussit. Ammianus Marcellimus Juliani adulator atque ejus vitæ scriptor, narrat. « *XIV Kalendis Aprilis anni* 363, *noctu Palatini Apollinis templum, præfecturam regente Aproniano in urbe conflagravit æterna; ubi in multiplex juvisset auxilium etiam Cumana carmina consumpserat multitudo flammarum.* » At templo conflagrato in ipsius fundamentis intacti codices Sibyllini permanserunt, qui dein triginta annis post, inventi ac incendio exusti fuere.

16. — Denique historia carminum Sibyllinorum ad suum finem vergente, adnotandum esse censemus; quod erroneum sit testimonium Sozomeni (*Historia Ecclesiastica*, lib. 5), juxta quod Stilicon utriusque dux militiæ, Theodosio Romam veniente an. 389, non tantum multa templa cum numinibus ethnicis demolivit atque destruxit, templum Jovis Capitolini ex omnibus ornamentis divitiisque spoliavit, sed etiam carmina Sibyllina concremavit, nam teste Baronio N° 78 *Annalium :* libri Sibyllini anno 399, in fundamentis templi Apollini reperti sunt et dein jussu Arcadii et Honorii Imperatorum a Stilicone in ignem projecti sunt, ne amplius foverent atque sustinerent susperstitionem gentilium, qui despectis testimoniis de Christo ejusque divina religione, in Sibyllis ipsarumque carminibus tantum modo suos Deos, vatesque arcana et futurus eventus manifestantes videbant, et ita in sua superstitione atque perversitate permanere satagebant. Quare

ethnici in contumacia sua resistentes in iram contra Stiliconem prorumpunt et eorum poëta *Rutilius Numantianus, Itiner.*, lib. 2, ita incendium librorum Sibyllinorum a Stilicone operatum depingit :

« Nec tantum Geticis grassatus proditor armis
Ante Sibyllinæ fata cremavit opis.
Odimus Althæam, consumpti funere torris,
Nisæum crimen flere putantur aves.
At Stilicho æterni fatalia pignora regni
Et planas voluit præcipitare colos. »

17. — Ex historia Carminum Sibyllinorum a nobis hucusque reproducta atque documentis testimoniisque scriptorum coëvorum innita, sequitur : quod *Guillelmus Beveregius in codice can. primit eccl. vindicato et illustrato* lib. 1, c. 14, n. X et XI, Amstelodami 1697, non rectam de Sibyllinis carminibus ediderit opinionem, ea in tres classes dividendo. De hac re ita J. H. Janssens in sua Hermeneutica Sacra N. 48, circa finem tradit « *Guillelmus Beveregius tres classes carminum seu oraculorum Sibyllinorum distinguit : in prima collocat genuina carmina Sibyllina quæ* (vide N. 11), *anno* 78 *ante Christum cum capitolio in cineres redacta fuerunt. In secunda ponit ea, quæ Romani dein collegerunt et quorum fragmenta occurrunt apud Plutarchum, Varronem, Tullium, Virgilium aliosque scriptores romanos. Collectionem horum carminum Stilicon sæculo V. Romæ flammis tradidit. Celeberrima sunt carmina, quæ*

occurrunt apud Virgilium ecloga quarta.......... Tertia classis complectitur octo libros carminum Sibyllinorum, Bibliothecæ Patrum insertos, *sed quæ eruditi moderni sæculo secundo conficta esse consentiunt.* Triplicem hanc divisionem esse omnino erroneam, falsam atque omni fundamento privatam, autumamus ob sequentes rationes : 1) Cum templo Capitolino flammis simul consumpta sunt solummodo carmina Sibyllæ Cumanæ, ideoque versus novem reliquarum Sibyllarum intacti permansere. 2) In flammis interito authentico codice Cumanæ Sibyllæ non sequitur, ut omnino versus ejusdem Sibyllæ deperiti fuerint, nam ex N. 9 scimus : amicum Duumviri Attilii exemplar ipsorum confecisse, qui paulatim inter plurimas personas præsertim eruditas hujus temporis propagatum fuit. Dein non caret probabilitate multorum historicorum opinio, pontificicem maximum aliique sacerdotum ethniconum antistites ad recte officium suum exercendum adimplendumque, exacta carminum Sibyllinorum exempla habuisse, atque ex ipsis frequenter de futuribus eventibus consultos divinasse. — Ideoque quasi certum est, Romanos post incendium Capitolii habuisse exactum exemplar carminum Cumanæ Sibyllæ; ex quo sequitur, ut exemplar posterior Cumanum fuerit, vel ad minus esse potuerit identicum. 3) Relictæ novem Sibyllæ prima vice a Romanis collectæ sunt anno 76 ante Chr. natum, dein anno 18 ante Ch. et anno 34 æræ vulgaris examinatæ et correctæ usque ad annum 399, diligenter a *Quinde-*

cimviris conservatæ sunt, ideoque haram Sibyllarum divisio in carmina quæ cum Capitolio fuerunt concremata et in carmina quæ dein Stilicone flammis dicata fuerunt, est omnino futulis, imo omnino falsa. 4) Beveregius, idem traductor et corrector Vocabularii Biblici Augustini Calmet, Joannes Mansi in suis adnotationibus ad verbum « *Sibylla* » cum multis aliis tenent: carmina Sibyllina nunc in-8° libris conservata ac *Bibliothecæ Patrum* inserta, fuisse a quodam incognito auctore confecta sæculo II° æræ vulgaris. — Prætermittendo, quod hæc opinio sit Christiano nomini nimis injuriosa, nam ex ea evidenter, a quodam Christiano carmina Sibyllina fuisse supposita vel corrupta eruitur suppositio, eam prorsus omni fundamento carere et veritati historicæ esse contrariam, sustinemus. Ex factis superius narratis satis constat, usque ad sæculum quintum authenticos codices Sibyllinos conservatos, atque a quindecimviris custoditos fuisse, ideoque omnis corruptio, interpolatio, vel mutilatio a quocumque facta, statim detegeretur, quod etiam ex hac potissimum ratione erat impossibile, quia cuicumque civi romano aditus ad libros Sibyllinos fuerit vetitus. Dein Constantinus ejusque, præter Julianum, successores Christianis liberum studium Sibyllarum permiserunt, imo promoverunt; ideoque Christiani in suis contra Ethnicos argumentis ex libris Sibyllinis conficiendis, nullam necessitatem habebant ad eos vitiandos vel confingendos recurrere, quod etiam ratione sanctitatis ipsorum religionis im-

possibile erat. Ergo, ex omnibus hucusque dictis omnino respuendam esse opinionem Beveregii aliorumque, et tenendum esse patet : 1) Codices Sibyllini ab eorum origine usque ad incendium a Stilicone peractum, sunt authentici atque incorrupti; quare et omnes hujus epocæ spatio a Patribus aliisque scripturibus factæ citationes fidem omnino merentur. 2) Octo libri Sibyllarum, quos nunc possidemus, tractu temporis vel per nimium compilatorum zelum quodcumque fragmentum nomine Sibyllæ designatum colligendi atque codici vero inferendi, vel per incuriam atque imperitiam copistarum, vel per interpolationem, vel per mutilationem corrupta fuere. Quo non obstante sunt pretiosa antiquitatis documenta.

§ IV. — *Critica librorum Sibyllinorum*

18. — Opinio Beveregii et ea, quæ super illam diximus, ipsiusque quæstionis logica evolutio ad criticem super libros Sibyllinos constituendam nos conducunt. Ante omnia nostram non fugit observationem hæc specialis, dicam, providentialis tot sæculorum cursu conservatio in templo Capitolino prius, dein in templo Apollinis Palatini librorum Sibyllinorum, qui ad Christum ethnicis prædicandum atque religionem ejus propagandam potissimum inserviebant; postquam autem suum scopum attigere, cruce Christi in universo do-

minium obtenta, a Stilicone, veluti in posterum parum utiles aut nocivi potius, fuerunt conflagrati.

19. — Scriptores Stiliconi posteriores ad collectionem, quam nunc habemus, Sibyllinorum carminum conficiendam, ad cantus sub hoc nomine notos atque undique dispersos recurrerent, dein eis, juxta suam imaginationem modumque intelligendi, aliquam unitatem et harmoniam procurare conati sunt. Hinc nil mirandum est, quod in hodierno Codice Sibyllino non reperiamus multas citationes nobis a Patribus Ecclesiæ primævæ traditas, quodque alii versus omnino mutati inveniantur. Quare harum rationum gratia concludere expedit, Carmina Sibyllina clara atque manifesta corruptionis suppositionisque signa continere, quorum hic nonnulla adduci, sibi proposuimus.

20. — Libri Sibyllini plurimos errores geographicos atque chronologicos complectuntur. 2) Ex S. Scriptura nec minus ex Patribus : S. Justino « *Cohortatio ad Græcos,* » ex Eusebio Cæsar. « *lib.* 10 *de Præparatione Evangelica*, cap. 9, » ex Lactantio « *lib. de Vera Sapientia*, cap. 5, » ex S. August. « *lib.* 18 *de Civit. Dei*, cap. 38, » ex Tertuliano denique « *Apolog.*, cap. 19, » notum est : nullum ante Moysen scriptorem floruisse atque extitisse, auctor tamen 3 libri Sybillini annuntiat nativitatem Moysis et liberationem Hebræorum ex terra Ægypti. 3) Patres Sibyllas prophetissas Gentiles appellant, Erythræa Sibylla in fine tertii libri murum Nohe se exhibet, quæ cum suo viro in arca clausa fuit atque

aquas deluvii evasit. 4) Juxta Patres, præsertim S. Hieronimum, Sibyllæ virgines fuerunt; auctor tamen libri 3ii uxorem unius ex tribus filiis Nohe se prodit, dein libro 4° Sibylla « *vitæ scortum se fuisse* » libro autem 8° *mulierem prostitutam* esse, confitetur. 5) Auctor libri 5, propriis oculis vidit secundum incendium templi Vestæ, quod multo post Christum sub Commodi imperio locum habuit.

6) Exordio libri 8° Sibylla Christianam esse se prodit, dicens :

> « Nos igitur Christi de stirpe creati
> Cœlesti nomen retinemus proximitatis
> Lætitiæ memorem servantes religionem. »

7) Codices Sibyllini reproducunt non interruptam Imperatorum Romanorum seriem ab Julio Cæsare, scilicet, usque ad Antonium Pium et adeptionem M. Aurelii et L. Veri, quæ pro vate nullum interesse habere potuerit.

8) Prædictio Jesu Christi in celeberima acrostichide jam scriptoribus Gentilibus nota minime consentit versibus, quos ex authentico codice Constantinus Magnus in synodo Nicæna reproduxit, nec minus differt a traductione S. Augustini lib. 18, cap. 23 de *Civit. Dei* (vide N. 106).

9) In descriptione regni Christi in terra duraturi auctor evidenter labitur in Chiliastarum errorem.

10) His observationibus nonnulli auctores adjungunt sequentem, de qua suo loco et nos fusius sermonem agemus. Juxta hos auctores, Sibyllæ cum tanta claritate atque exactitudine de Incarnatione, Nativitate, Passione ac Resurrectione Christi agunt, ut potius videtur legere historiam, quam disertius nec ipsi Evangelistæ narrarunt, quam vaticinium longe ante eventum enunciatum.

21. — His omnibus juste perpensis, ne Sibyllæ prodigioso suo charactere atque gravissima auctoritate, quibus semper pollere debent, priventur omnino, vel satem in majori parte auctoritatem hodierni codicis Sibyllini suspectam tenemus, altera ex parte citationes Sibyllinæ a coëvis scriptoribus Patribusque Sanctis nobis relictas, veras prorsus, genuinas, atque fide dignissimas habemus.

§ V. — *Adversarii Sibyllarum.*

22. — Non obstante critice nostra, libri Sibyllini non solum apud antiquos scriptores gentiles ob futuros eventus prædictos, sed etiam apud Patres Ecclesiæ ob Christum annunciatum, semper magna pollebant auctoritate et omnium merebantur respectum. Primi, qui suas accusationes atque suspectus moverint, sunt novatores sæculi XVI et eo pervenerunt, ut Sibyllas omnino e medio tulerint. Hos dein alii scriptores tam catholici, quam hæretici et increduli secuti sunt, et circa Sibyllas in diversas opiniones abiere.

23. Adversarii Sibyllarum in tres classes dividi possunt : 1) primam constituunt fere omnes scriptores protestantes et philosophi rationalistæ sæculi XVIII, qui non solum negant Sibyllas aliquando extitisse, sed asserunt primi, Sibyllas veluti alia Gentilium numina esse dignitates quasdam Olympi ac proinde esse omnino mythologicas existentias; alteri autem contendunt, Sibyllas nihil aliud esse, quam productiones phantasticas fecondæ imaginationis populorum *semiticæ originis.* Ita inter alios sunt : *Blondellus*, de Sibyllis; *Causab.*, in Baron, exerc. 1, sect. 10, cap. 11 ; *Erasem. Schmith*, Diser. de Sibyllis; *Dupin*, Prologom. de la Bible; *Dom Ceillier*, Hist. des auteurs sacr. et eccles.; *Fréret*, Mémoire de l'Académie des inscriptions, tome 3, in-4°. His auctoribus innixus clarissimus Calmet Ord. S. Benedicti abbas in suo Vocabulario Biblico vocabulo « *Sibylla* » existentiam Sibyllarum veluti dubiam et omni fundamento privatam tradit. — II) Secunda classis complectitur mitiores protestantes nonnullosque catholicos scriptores, qui admittunt existentiam Sibyllarum, sed tantum fuisse unam, apud diversas gentes sub diverso nomine notam contendunt, ita inter alios Petrus Petit. — III) Ad tertiam classem adversariorum pertinent ii, qui confuse et non sine magno dubio admittant existentiam Sibyllarum, sed ægre ferentes ipsos Gentiles testimonium Religionis Christi constituere, negant eas aliquid de Christo vaticinari potuisse, vel si vaticinatæ fuerint Sibyllæ, hoc opere dæmoniorum perpe-

trasse, asserunt. Eruditissimus *Joannes Perrone. Prælectiones theologicæ de virtute religionis*, ꝺ 804 Sibyllas inter Pythonissas aliosque Gentilis superstitionis præstigiatores recenset. S. Thomas, 2. 2, q. 172, art. VI. « *Utrum prophetæ dæmonum aliquando prædicant verum*, dicit. » *Unde etiam Sibyllæ* (prophetæ dæmonum) *multa vera prædixerunt de Christo* (Vide N. 69).

24. — Omnes fere adversarii, ut suam opinionem propugnarent, atque contra auctoritatem S. Patrum Sibyllis faventem sustinerent, eam omnino evellere, vel saltem attenuare tendunt. Quare increduli philosophi ac Luterianæ scholæ scriptores minime verentur deliramenta hæc proferre, scilicet : Sos Patres in Sibyllis allegandis suam ignorantiam, defectum omnis criticæ demonstrasse; alii mitiores reprehendunt eos de nimia simplicitate, bona fide ac credulitate, quia ipsi libros Sibyllinos veluti veros ac authenticos taxarunt atque acceperunt. Catholici scriptores longe tam non progrediuntur, sed facta observatione, « *nulla de Sibyllis in scriptura fit mentio*, » auctoritatem ipsarum flocci faciunt, contenduntque sanctos Ecclesiæ scriptores de authenticitate et veracitate Sibyllarum hand sollicitos, argumento ad hominem contra ethnicos usos fuisse, ideoque existimasse allegationem carminum Sibyllinorum aliquo modo christianæ religioni utilem esse, licet etiam ipsa authentica non cesent.

25. — Ad omnes Sibyllarum adversarios refutandos, nec minus ad veram de ipsis doctrinam propugnandam,

posteriori quæstionum exhibitione, probare sibi proponimus; 1) Sibyllas vere, reapse, et numero decem extitisse; 2) eorum scripta a Patribus nobis tradita, esse incorrupta atque authentica; 3) Sibyllas divina inspiratione vaticinari potuisse; 4) Sibyllas multa de Christo prædixisse, ideoque documentum Christianismi constituere; 5) injustam esse omnino aggressionem adversarorium Sibyllarum contra Patres Ecclesiæ, qui tempore, quo auctoritate Sibyllarum utebantur, canonem Sacrum Codecum propugnabant.

Digitized by Google

ARTICULUS II.

DE EXISTENTIA ET NUMERO SIBYLLARUM.

26. — Existentiam numerumque Sibyllarum probaturi ad erroneas atque falsas asertiones opinionesque refutandas, propositionem statuimus :

« Vere reapse Sibyllæ extitere et quidem decem. »

in qua omnem assumenus laborem, ut firmibus argumentis veritas elucescat, claraque evadat. Cum autem in enuntiatia propositione duplex continetur quæstio, ideoque prius de *existentia*, dein de *numero* Sibyllarum pertractabimus.

§ I. — *De existentia Sibyllarum.*

27. — Adversarii nostri in hac quæstione, seu illi qui negant existentiam Sibyllarum sunt : 1) plures Protestantium scriptitantes nec minus philosophi naturalistæ ulterioris sæculi, qui asserant Sibyllas esse fictiones, juxta unos, mythologicæ imaginationis ethnicorum ; juxta alios, producta semiticæ phantasiæ, quibus

vel ex ignorantia atque simplicitate, vel ex mala fide (juxta alios) abutebantur propagatores atque scriptores Christiani ad faciliorem reddendam propagationem ipsorum Religionis. 2) Nonnulli catholici autores atque theologi, qui pro dubia teneant existentiam Sibyllarum. Ita inter alios, eruditissimus *Augustinus Calmet* Ord. S. Benedicti abbas S. Leopoldi Nanciensis in suo *Biblico Vocabulario* in rubrica *Sibylla* ait : « *Nihil de Sibyllis in Scripturis, quin et ea de illis relata omnia adeo parum asserta videntur, ut fusius de illis tractantes, operam perdere videremur..... Plures inter veteres Pa tres Sibyllina quadam carmina, uti ferebantur, nostræ Religioni faventia producunt. Verum peritiores critici* (Blondell, Causab., Schmith, Dupin, Gallæus) *nostræ ætatis scripta illa post factum et nunquam a Sibyllis prolata pro comperto habent.*

28. — Veluti pro veritatibus intellectualibus ratiocinii militant argumenta, veluti praxis explicat phænomena physica, ita testimonia probant facta historica; et si in his testimoniis ferendis non solum scriptores coëci et immediate subsequentes, sed etiam scriptores gente, lingua, tempore, atque modo tractandi diversi unanimiter consentiunt, testimonia illa, repeto, talem fidem certitudinemque producunt atque lectoribus præbent, ut nemini mentis compoti suæ de factis hoc modo ab antiquitate nobis traditis dubitare, eo magis ea negare, liceat. Si igitur de existentia Sibyllarum scriptores eruditissimi : moderni et antiqui, imo antiquissimi con-

stanter veluti DE FACTO loquuntur, certum firmiterque tenendum est : SIBYLLAS VERE ET REAPSE EXTITISSE. Quod ratiocinium scholastico modo brevior reddi potest his verbis : facta historica coëvorum et posteriorum testimoniis scriptorum probantur. Atqui de existentia Sibyllarum scriptores coëvi et posteriores testimonia ferunt. Ergo existentia Sibyllarum est factum historicum.

29. — Ad rectitudinem nostræ conclusionis demonstrandam atque argumenti vim probandam, sufficit auctorum in lucem prodere testimonia, quæ tamen loco hoc prætermimus, tantummodo nomina eorum, qui de Sibyllis tractaverint, recensendo. Animadvertere debemus plurimes auctores, quorum scientia gloriabatur in Oriente antiquitas, per incendium Bibliothecæ Alexandrinæ ad nos minime pervenere (1). Nonobstante hac circumstantia, brevis non erit scriptorum series, quam primis nominibus ab aliis auctoribus citatis pertexemus, dein reliquos omnes recensemus. Ad primam classem pertinent : *Nicanor*, *Aristus Chius*, *Eratosthenes*, 276-196 ante Ch.; *Euripides*, 480-406 ante Ch.; *Chrysippus*, natus

(1) Bibliotheca Alexandrina condita fuit a duobus regibus Ægyptionum : Ptolemæo Sotero (323-284 ante Ch.) et filio suo Ptolemæo Philadelpho (284-246 ante Ch.) et constebat duobus partibus, quarum prima continens circa 800,000 volumina inveniebatur in magnifico ædificio prope palatium regium posito ac dicto Bruchium ; altera pars inveniebatur in templo Serapis (Σαράπις latinæ Apis et Osiris juxta Varronem et Plinnim redditur) et continebat philosophos ac in omni genere doctos Indianos, Ægyptios, Græcos et Romanos. Biblotheca Serapeon

290 ante Ch.; *Appollondorus*, an. 140 ante Ch.; *Aristophanes*, 443-380 ante Ch.; *Flaccianus*, *Cotta* coëvus Ciceroni (De natura Deorum) *Heraclides Ponticus* et *Fenestella* (de Magistratibus); *Berosus*, aliique. Secundam classen constituunt :

A) *Scriptores Ethnici*: *Homerus*, poëta græcus, 850 ante Ch.; *Heraclitus* versus 573 ante Ch.; *Herodotus*, historicus græcus et irrisor omnis superstitionis, 484 ante Ch.; *Plato* in Phædr., 429-347 ante Ch., philosophus, viator et activissimus omnis fide dignæ traditionis Orientalis collector; *Aristoteles*, 384-322 in Problematibus; *Naevius* poëta mortuus an 202 ante Ch.; *Calpurnius Piso*, Consul an 133, Annales, *M. Terentius Varro*, 116-28 ante Ch.; *Salustius Crispus*; M. *Tullius Cicero*, 106-43 ante Ch., de divinatione; *P. Virgilius* MARO, 70-19, 3ª et 6ª Æneida et 4 Æcloga; *Strabo*, 54-24; *Ovidius Naso*, 43-18 p. Ch., Metamorphoris 14; *Horatius Flaccus*, 61-8 ante Ch.; *Dionisius Siculus*; *Valerius Maximinus* (De factis dictisque variis); L. *Annæus Florus* (Historia Romana); C. *Plinius Secundus* (Historia Naturalis); *Titus Livius Patavinus* 59-17 p. Ch. histo-

fuit dein augmentata potissima parte bibliothecæ Regum Pergamenorum, quam Antonius dono obtulit Cleopatræ reginæ Ægypthionum. — Bibliotheca Bruchii tempore belli civilis Cæsarem inter et Pompejum flammis dicata fuit per exercitum Cæsaris an 46 ant. Ch. — Bibliotheca Serapeon juxta alios incendio consumata fuit tempore Theodosii Imperatoris anno 389 æræ vulgaris, juxta alios et communiter ab Omar Chalifo Araborum anno 641 æræ vul.

ricus; *M. Lucanus*, 39-65 p. Ch. (lib. 4°); L. *Annæus Seneca* (in Agamemnonem); C. *Cornelius Tacitus*, 61-120 p. Ch. (Annales); *Suetonius Tranquillus*, tempore Vespasiani floruit; *Plutarchus*; *Juvenalis* poeta; *Ælianus* (Varia historia), tertio sæculo vixit; *Pausanias*, geographus; *Dionysius Halicarnassus* (historia Romæ); *Solinus Julius* ana 258; *Ausonius* poëta versus 310 ær. vul.; *Claudianus* mortuus 480; *Rutilius Numantianus* (Itiner., lib. 2); *Martianus Copella*, poëta, 490 p. Ch..

B) *Scriptores Hebræi : Josephus Flavius* qui tempore Vespasiani floruit, scripsitque libros de Bello Judaico et de Antiquitatibus Hebraeorum.

C) *Patres Eecclesiæ : Hermas*, discipulus S. Pauli circa 90^{am} floruit (Visio 2, lib. 1, Pastoris); *Justinus Martyr*, † 163 (Apologia II^{a} pro Christianis et in aliis pluribus locis); *Athenagoras*, 176; *S. Theophilus Antiochenus*, † 186 (lib. 2 ad Antolicum); *S. Clemens Alexandrinus*, † 217 (lib. 6 Stromatum); *Origenes*, † 253 (lib. con. Celsum), *Lactantius*, † 325 (cap. 6, lib. 1, Justit. Div.); *Eusebius Cæsaræensis*, † 340 (cap. 18 et 19, vitæ Constantini Mag.); *S. Ambrosius*, † 397; *S. Augustinus*, ab 386-430 (cap. 23 et 46, lib. 18 de Civit. Dei, aliisque locis); *S. Hieronymus* (lib. 1 cont. Jovin.); *S. Isidor Hisp.*, † 637; V. *Beda*, † 732; *Sozomenus* (cap. 2, lib. 2, Hist. eccles.). *S. Thomas Aquitanus* (Summa Theologica).

D) *Scriptores Moderni* : *Sixtus Senensis; Honorius Augustodiensis* (lib. 3 de Imagine mundi); *Cornelius a*

Lapida; Bellarminus (De Christo, lib. II, cap. 11), *Alexander Natalis* (Historia eccles.); *Onuphrius; Possevina; Vives; P. Petit; Guil. Beveregius; J. H. Janssens*, (Hermeneutica Sacra, N° 48); *Joannes Perrone* (Prælect. theol. de Religione, N° 804).

F) His etiam annumerari possunt omnes adversarii Sibyllarum, qui de ipsis vel dubia sua, vel negationes proferentes, ipsarum existentiam agnoscunt : ut BLONDELLUS, DUPIN, SCHMITH, FRÉRET, CEILLIER, CALMET aliique.

30. — Et hisce dictis clare, multa esse de Sibyllis testimonia, patet. Si autem tam multa sint testimonia, existentia Sibyllarum est factum historicum; — ideoque sententia docens : Sibyllas esse fictiones, phantasmata ac mythos est omnino falsa, erronea ac omni fundamento privata, per consequentiam igitur prorsus respuenda est. Et quidem auctores de Sibyllis scribentes, tradunt earum nomina, patriam, aliquando etiam parentes, tempus quo floruerint, imo ipsa scripta adducunt, uno verbo eo modo Sibyllarum historiam narrant, quo conscripta sunt gesta, verbi gratia : Ptholomæi, Cyri, Cæsaris, etc. sine fabulis, prodigiis, aliisque fictionibus poëticis, quibus descripta est vita Jovis, Apollinis, Minervæ, etc., Ergo si Sibyllæ, ut nonnullis nostris adversariis placet, fuissent reapse productiones mere phantasticæ, hæc *simplicitas ac claritas*, quibus earum narratur historia, hæc *exiguitas verborum ac sæpe nobile silentium*, quod auctores, quando ipsorum notitiam fugit Sibyllarum præcisa historia, de-

monstrent, nullo modo a nobis nec intelligi nec explicari possunt.

31. — Ad realem Sibyllarum existentiam probandam, hæc etiam juvat observatio : quod auctores tam antiquiores quam moderni plus occupentur, majorem impendant laborem, disertius tractent atque describant prædictiones carminaque Sibyllarum, quam ipsarum personas. Dein alio loco (N° 51 et sequ.), scripta Sibyllarum a S. Patribus aliisque auctoribus allegata, esse genuina atque incorrupta, probatum erit; ergo ex ipsis carminibus scriptisque Sibyllinis earum existentia demonstratur atque vindicatur. — Et reapse, quemcumque sanæ mentis virum quæro, quomodo auctores tot capita, tot tractatus dissertationesque confiere, quomodo tot earum carmina versusque veluti auctoritatem in scriptis suis allegare potuerunt, si ipsi : *Sibyllas esse fictas personas*, sciebant, credebant, vel saltem dubitabant et quomodocumque suspicabantur ?

32. — Denique si tot tantisque testimoniis atque argumentis *existentia Sibyllarum* innititur, probatur atque vindicatur, nil mirum est : Ecclesiam ipsam existentiam earum ut veram admittere et auctoritatem earum aliquando producere. Ita in Missa pro defunctis legitur :

Dies iræ, dies illa,
Solvet sæclum in favilla,
Teste David cum Sibylla.

§ II. — *De numero Sibyllarum.*

33. — Nunc alteram thesis nostræ (N. 26) partem aggredimur, et numerum bis quinum Sibyllarum probare sibi proponimus. Loco hoc refutanda est duplex adversariorum classis; quorum alii, unam fuisse Sibyllam apud gentes sub diversis nominibus notam, asserunt; ideoque inferunt, omnes Sibyllas nihil aliud esse quam diversa nomina ejusdem Sibyllæ. Inter alios recensendus est *Petrus Petit*, de quo *Janssens* (Hermeneutica Sacra N. 48 circa medium) ita scribit. « *D. Petrus Petit in docta de Sibyllis dissertatione omnes Sibyllas ad unam reducit, contenditque diversa ejusdem Sibyllæ nomina protolidem diversis Sibyllis fuisse accepta. Existimat, istam Sibyllam fuisse græcam, eo quod oracula illi attributa græce scripta fuerunt, ipsam Erythris, in urbe Asiæ Minoris, natam, Herophilen nuncupatam fuisse, diversa nomina illi data fuisse ob frequentia itinera in diversis mundi partibus instituta, eamque Cumis in Italia obisse.* »

Alteram speciem constituunt illi, qui numerum Sibyllarum esse omnino incertum contendunt, vel hunc numerum, despecta gravissimorum scriptorum auctoritate, majorem vel minorem constituunt. Huic laboro sequentes subscribunt auctores.

1) *Joannes Perrone*, qui in *Prælectionibus theologicis*

de virtute Religionis N. 804, hanc de Sibyllis edit opinionem, quam totaliter hoc loco transcribimus, — ne dein eam repetere oporteat. « *De Sibyllis, ita nuncupatis* A CONSILIO DEI, VEL PLENÆ DEI, *vis quidpiam addam*, CUM OMNIA PÆNE INCERTA SINT, QUÆ AD EAS REFERUNTUR, SIVE CIRCA NUMERUM, SIVE CIRCA CARMINA, *quæ sub earum nomine circumferebantur. De illis nulla in Scripturis fit mentio, sed frequens penes auctores profanos, poëtas præcipue, occurrit sermo. — Apud Patres et scriptores ecclesiasticos Sibyllarum passim auctoritas urgebatur adversus ethnicos, eo quod non pauca vaticinia, quæ ad Christum resque christianas referri viderentur, penes illas occurrent..... Illud ratum est, penes veteres exhiberi Sibyllas a numine actas, furore plenas, vociferantes et sui impotes, quibus sublatæ comæ, anhelat pectus, tumet cor rabie percitum, immutatur color, ut passim poëtæ eas vaticinantes exhibere consueverunt. Plerumque arborum foliis Sibyllæ responsa sua committebant. Ex his itaque constat, Sibyllas vix a Pythonissis distingui.*

2) Martianus Copella duas tantum admittit Sibyllas, scilicet : *Erophilam Trajanam* filiam Marmesi, quam vocat etiam Phrygiam et Cumæam, et *Symmachiam* Hipporesis filiam, quæ Erythris nata, Cumis dein vaticinata fuit, ideoque ab ipso Erythræa vel Cumana Sibylla appellatur.

3) *Solinus* tres enumerat Sibyllas : *Delphicam*, nempe, quæ ante bellum Trajanum Homerumque floruit; *Ero-*

phile Erythris oriunda et mox post primam vaticinata; *Cumæa* denique particulari modo a Romanis honorata.

Plinius idem asserit et narat suis temporibus prope Palatium Palatinum tres statuas Sibyllarum fuisse inventas.

4) *Ælianus* in suo opere « *Varia Historia* » quatuor ponit Sibyllas. *Erythræam*, *Samiam*, *Ægyptiam* et *Sardicam*.

5) *Honorius Augustodiensis*, qui nescit nomen undecimæ Sibyllæ, eas fuisse undecim, asserit.

6) *Auctor Chronici Paschalis*, qui ineunte sæculo VII° floruit, duodecim enumerat Sibyllas, scribens : « *Hoc anno s. c. Olympiade IV Sibylla Erythræa in Ægypto claruit. Fuere et aliæ undecim Sibyllæ : Sibylla Hebræa, Sibylla Persica, Sibylla Delphica, S. Adæm, Sibylla Cimeria, Sibylla Libyca, Sibylla Sammia, Sibylla Cumana ; S. Trajana, Sibylla Phrygia, S. Tiburtina. Erythræa oviunda erat ex oppido Erythræ dicto, e regione Chii Heronimi carmen edebat, cujus monumentum Erythris hodie e regione Chii juxta Stercam conspicitur.*

7) Denique omnes ii, qui præter decem Sibyllas a nobis enumerandas, alias quascunque admittunt, ut exempli gratia : *Colophonia*, quæ dicta est Lampusia Calchante nata; *Elissa; Cassandra* filia Priamir; *Sibylla Epirotica* Thesprotiæ nata; *Thessalia Manto* Tiresiæ et Thebani filia; *Fanua Fatua* Fanui regis soror et uxor; *Carmentis* vel *Carmenta*; *Arcas* Evrandri mater, etc.

34. — Contra hos omnes, N. 26, thesis statuta fuit *de-*

cem fuisse Sibyllas, quam nunc triplici argumento probandam assumimus; *traditione*, scilicet, *scripta*, *traditione monumentali et observationibus rationalibus.*

35. — *Probatur.* A) TRADITIONE SCRIPTA. Primo loco venit M. Terentius Varro, qui gravissimis auctoribus innixus, decem fuisse Sibyllas sustinet. Qua autem hac in re pro nobis debet Varro auctoritate pollere, aliquas de ipso opiniones enuntiare sufficit; ita inter alios Terentianus de Varrone loquens, pronuntiavit. « *Vir doctissimus undequaque Varro.* » Lactantius vero cap. 6, lib. I. Justit. divin. hoc modo præsentat Varronem : « *Quo nemo fuit unquam doctior nec apud Græcos quidem, nedum apud Latrinos in libris rerum divinarum.* Hæc testimonia lectorem convincere debent, auctoritatem Varronis in præsentis solutione quæstionis esse absolutam, decisivam omneque dubium dirimentem.

Firminiamus Lactantius capite de Testimoniis divinis et de Sibyllis earumque carminibus, quod in libro I « *de Falsa Relegione* » *Institutionum divinarum* legimus, decem enumerat describitque Sibyllas et plures, qui de eis scripserint, auctores revocat.

S. Augustinus Hipponensis Episcopus, cap. 23, lib. 18 de Civitate Dei, loquens de pluritate Sibyllarum ad testimonium Varronis recurrit.

S. Hieronimus libr. I contra Joviniarum ait : « *Quid referam Sibyllas Erythræam atque Cumanam et octo reliquas, nam Varro decem fuisse autumat.* » *V. Beda*, qui ultimum in scriptis suis caput Sibyllis dicavit, non

solum decem enumeret Sibyllas, sed etiam hujus rationem reddit loquens « *tradunt aut doctissimi auctores decem fuisse Sibyllas.* » *Calmet* Abbas S. Leopoldi Nanciensis, quamvis magno cum dubio et suspitione tractet Sibyllas, decem tamen eas prodit in suo Vocabulario Biblico, quia « *decem vulgo recensentur* » ait.

36. — Probatur numerus bisquinus Sibyllarum 2) *traditione monumentali*, quæ quidem multo sit Sibyllis posterior, semper tamen facto, quod repræsentet, innititur, — confirmat testimonia scriptorum et nostra meretur fide atque summissione; — eo magis quod traditio hæe Romanis Pontificibus auspicibus orta fuerit, hucusque conservetur. Ita in aulis Vaticanis, a Rafaëlo Urbino, in Oratorio Sixtino a Michaële Bonarotti, in Ærario Basilicæ Lauretanæ decem Sibyllæ vel pulcherrime depictæ sunt, Romanorum jussu sumptisque Antistitum. Denique Joannes Sansovinus, Clementis VII Rom. Pont. cura, domum Deiparæ Virginis post lungas peregrinationes Nazareth Lauretum translatam ornavit decem in marmore sculptis Sibyllarum statuis, quæ non solum harum prophetissarum ætatem, indolem, characterem, tempus ac nationem, in qua floruerint, mirifice spectatori ob oculos ponunt, repræsentant, explicantque; sed etiam sublimiorem ideam, nobiliora cogitata atque effusius tangensque sentimentum ei inspirant, promovent ac per tempus sustinent.

37. — Probamus 3o loco nostram doctrinam refutatione Petri Petit suorumque fautorum, nec minus quibusdam observationibus.

Si Sibylla tantum una fuisset, ut nonnullis placet, tunc temporis : vel, omnia carmina Sibyllina, quæ antiquìtus toto ethnicorum orbe circumferebantur, fuisse ejusdem auctoris, dein per eruditos scriptoresque diversis gentibus appropriata esse, propugnandum est; vel, eamdem Sibyllam ad instar Divi Pauli Apostoli continuo peregrinasse et apud diversas gentes, juxta loci temporisque circumstantias ac indolem populi, sua vaticinia reliquisse, censendum est. Ast neutrum admitti potest. Et quidem prima hypothesis nihil valet, nam carmina Sibyllina magnopere inter se differunt poësi, stylo, modo et claritate vaticinandi, sublimitate idearum, majori vel minori extasis intensione, denique in futuris eventibus prædicandis, quos sæpius vel rarius figuris mythologicis adumbrabant. Respuenda est quoque et secunda conjectura, nam juxta historicos, fere undecim sæculorum tractus dividit atque separat primam (Persicam) ab ultima Sibylla (Tiburtina). — Quod temporis spatium, nemo non videt, vitam humanam omnino superat. — His potissimum notionibus absurdo notamus opinionem, quæ docet : *Carmina Sibyllina esse unius Sibyllæ*, vel unam Sibyllam apud diversas gentes suam legationem extraordinariam fere divinam functam fuisse.

38. — Denique in hac quæstione argumentum non *ad rem* quidem, sed *pro re* tamen præbere sequens observatio valet. Antiqui philosophi gentiles summam perfectionem sapientiamque numero (X) decem signi-

ficabant ac indicabant, et non raro per hunc numerum ipsum Deum exprimere volebant. Quare, Sibyllis, quæ erant quædam manifestationes perfectionis, magnitudinis ac voluntatis istius Dei per decem expressi, magis numerus *bisquinus*, quam quicunque alius conveniebat et scopo respondebat. Hæc explicatio convenientiæ atque significationis *decem Sibyllarum* etiam alio modo reddi ac perfici potest. Populus Hebræus per decalogum gubernabatur et ad adventum Filii Dei Salvatoris nostri præparabatur, convenientissimum igitur divinæ Providentiæ erat, ut altera et potior pars generis humani, ethnicismo immersa, per decem Sibyllas quodam modo ad veritatem virtutemque revocaretur, et ad cognitionem Salvatoris venturi disponeretur.

39. — Stabilito jam atque numero Sibyllarum decreto ad nomina Sibyllarum, cum brevi ipsarum historia recensenda, pergimus. Decem Sibyllæ, de quibus tam locuti sumus, erant : *Persica*, *Libyca*, *Delphica*, *Cumæa*, *Erythæa*, *Samia*, *Cumana*, *Helespontica*, *Phrygia* et *Tiburtina*. De his omnibus inferius separatim pertractabimus.

40. — *Sibylla Persica* vel *Haldacia* a nonnullis Hebræa vocata, nomen ejus proprium fuit Sambetha. Nicanor, qui res gestas Alexandri Magni Regis Macedoniensis descripsit, multa de ea narrat, atque indicat nomina parentum et locum natalem; ideoque justa hunc scriptorem pater Sambethæ Berosus, mater autem Erymantha vocabantur, qui in vico Nohe prope mare

Rubrum conversarunt. Unde Suidas eam fuisse filiam Nohe, credebat. Sibylla Persica floruit tempore Caleb Judicis Hebræorum, qui successor Josue fuit, et multa de Christo ejusque adventu cecinit, 24 libros carminum relinquendo.

41. — *Sibylla Libyca*, cujus meminit Euripides in Lamiæ prologo, claruit tempore Barach et Debora Judicum populi Israel.

42. — *Sibylla Delphica*, de qua in libro de divinatione scripsit Chrysippus. Credunt multi eam proprie nominatam Artemin vel Themin, et vaticinatam fuisse ante excidium Trojæ, denique multa ejus carmina Homerum suis operibus inseruisse. — Diodorus eam appellat Daphnen filiam Tiresiæ, et refert : eam, Thebis victis devastatisque, missam fuisse Delphos ibique in templo Apollinis futura annuntiasse, quare Sibyllæ nomen sortitam esse. Unde nonnulli hanc Sibyllam Daphne filiam Ladonis Arcadis et adamatam Apollinis fuisse, ferunt. Certum est eam tempore Judicis Thola floruisse. Clem. Alex., lib 1, Stromatum hæc de ea tradit : « *Heraclitus autem non humanitus, sed divinitus potius dicit apparuisse Sibyllam. Ajunt itaque Delphis in curia ostendi petram quemdam, super quam, dicitur, sedisse prima Sibylla; quæ ex Helicone venerat, educata a musis, cum esset filia Laminæ Sidoniæ. — Serapion autem in versibus dicit, non mortuam quidem a divinandi arte cessasse Sibyllam, et id quidem, quod ex ea in aërem recessit post obitum, id esse quod in fortibus divinat e*

auguriis, et eo autem quod in terram mutatum est corpore, exorta, ut consentaneum est, herba, quæcumque eam bestiæ comedissent, cum in eo loco essent, scribit, perfectam futuri cognitionem per ista hominibus significasse. Ejus autem animam, existimat, eam esse faciem. quæ apparet in Luna. »

43. — *Sibylla Cumæa vel Italica,* de qua disserunt Nævius in bello Punico, Piso in Annalibus, nec non Virgilius et Ovidius. Multi eam fuisse filiam Berosi historici, natamque Babilone unde Cumis in Campania Romana venisse ibique vaticinatam, ac sua Carmina foliis palmiceis inserta reliquisse, asserunt. Sed cum folia hoc modo conscripta in adito antri sui reponebat, facillime igitur ventus ea agitabat atque dispergebat. Quare, nil vel parum de hac re curente Sibylla, Carmina ejus partim deperdita, reliqua autem in ordine suo transmutata sunt. Sibylla hæc tempore Heli Sacerdotis Judicis vitam suam agebat.

Lactantius libro de Ira Dei, cap. 23, hoc modo ejus meminit : « *Verum, quia plures, ut ostendi, Sibyllæ a doctissimis auctoribus fuisse traduntur, unius testimonium satis non sit ad confirmandam, sicut intenderim, veritatem, Cumææ quidem volumina, quibus Romanorum fata conscripta sunt, in arcano habentur.* » S. Justinus Martyr, in Oratione Parænetica ad Græcos, hæc de ea refert N° 61, *Hanc autem* (Sibyllam) *ferunt Babylone profectam esse, Berosi, qui Caldæorum historiam scripsit, filiam et ad Campa-*

niæ partes, nescio quomodo, pervenisse, atque ibi oracula solitam edere in quodam oppido, quod Cumæ diceretur, quodque a Baiis sexto lapide abesset, ubi balnea Campainæ esse contigisset. Inspeximus autem cum in illo oppido essemus, locum etiam quemdam, in quo basilicam maximam, quæ ex uno saxo extiterat, cognovimus, rem maximam et omni admiratione dignam, ubi eam oracula edere solitam, dicebant ii, qui patria instituta a majoribus acceperant. In media autem basilica commonstrabant nobis tres cisternas, quæ ex eodem saxo manarant, quæ cum magna vi aquarum exundarent, in eis illam ablui solitam, narrabant, et cum stolam iterum sumpsisset in intimam basilicæ domum, quæ ex eodem saxo emineret, se recipere atque media domo in excelso solio sedentem, ita oracula edere. »

44. — *Sibylla Erythræa,* quam Apollondorus suam concivem esse, affirmat, asseritque eam Graiis petentibus vaticinatam fuisse atque prædixisse : Trojam esse perituram et Homerum mendacia scripturum. Eusebius autem refert, eam primis annis regni Romuli floruisse, esse Babylone ortam, et sese Erythræam appellari voluisse. Ast rectius sentit Honorius Augustodiensis, eam tempore Abessan• Judicis ponendo. Apud Lactantium libro de Ira Dei, cap. 22, legimus de ea : « *Sibyllas multas fuisse, multi et maximi auctores tradiderunt : Græcorum Aristo Chius et Apollondorus Erythræus, nostrorum Varro et Fenestella. Hi omnes præcipuam et*

nobilem, præter cæteras, Erythræam fuisse, commemorant. Apollondorus quidem ut de civi ac populari sua gloriatur. Fenestella vero, etiam legatos Erythras a Senatu esse missos, refert, ut hujus Sibyllæ Carmina Romam deportarentur, et ea Coss. Curio et Octavius in Capitolio, quod tunc erat curante Q. Catulo restitutum, ponenda curarent. » De hac Sibylla rem egerunt S. Hieronymus (vide N° 2), Eusebius Cesaræensis in Vita Constantini Magni (N° 105), et S. Augustinus, cap. 23, lib. 18 de Civitate Dei (vide N° 106).

45. — *Sibylla Samia* vocata Phito. De ea multa in Annalibus Samiorum loquitur Eratosthenes; Eusebius dat ei nomen Herophile; Ælianus eam tempore Numæ apud Romanos Regis, et Socratis Athenis Archontis viguisse, asserit. Certum est, eam Jeremiæ prophetæ fuisse contemporaneam, ideoque tempore Josiæ Regis Judæorum floruisse. De ea S. Augustinus, cap. 24, lib. 18 de Civitate Dei scripsit : *Hoc (Numa) regnante Romæ, et apud Hebræos initio regni Manasse, a quo iniquo rege propheta Esaias perhibetur occisus, Samiam, fuisse Sibyllam, ferunt.*

46. — *Sibylla Cumana* nomine Amalthæa floruit tempore Nabuchodonosoris et Tarquinii Superbi. Non nulli scriptores appellant eam Herophile vel Demophile. Sibylla hæc codices suos Tarquinio Superbo obtulit (vide N. 7 et 8) et juxta Solinum mortua et sepulta est in Sicilia, ubi sepulcrum ipsius se vidisse, asserit.

47. — *Sibylla Helespontica* in agro Trajano nata in vico Marinesso circa opidum Gergythium. Heraclides Ponticus eam tempore Solonis et Cyri vixisse, asserit; quod etiam confirmat Honorius Augustodiensis, lib. 3 de Imagine Mundi.

48. — *Sibylla Phrygia* Ancyræ vaticinia sua prodebat, cujus S. Clem. Alex. in Protreptico commonet: « *Sibylla Orpheo fuit antiquior. Traditur enim de ejus nomine et oraculis, quorum sunt libri complures; eam fuisse Phrygiam nomine Dianan, quæ Delphos perfecta, sic cecinerit: O Delphi quibus est Numen jaculator Apollo, veni ego quo dicam mentem Jovis omnipotentis*, etc. »

49. — *Sibylla denique Tiburtina* quæ nomen suum ab urbe, ubi vaticinata fuerat, assumit. — Veluti oppidum græce Tibur, latine Albunea vocabatur (hodie Tivoli), ita etiam et hæc Sibylla per nomen Tiburtina etiam Albunea sortita est, fuit contemporanea Zenoni et Platoni philosophis græcis et floruit tempore Artaxerxis Asseri filii Darii. — V. Beda hæc de ea narrat « Decima Sibylla Tiburtina græce, Albunea latine vocatur, et cujus carminibus multa de Deo et Christo scripta continentur. Vocata est autem in Græco Tiburtina, Latine vero Albunea nomine vero Cassandra, et illa circumiens diversas provincias ac partes orbis, prædicavit Asiam, Macedoniam, Erostachiam, Agagusdeam, Ciliciam, Pamphiliam et Galatiam. Quumque mundi partes vaticiniis suis replesset, inde venit Ægyptum, Æthiopiam,

Brogadam, Babyloniam, Aphricam, Libyam, Pentapolim, Mauritaniam et Palarinum. In omnes has provincias prædicavit, et spiritu prophetiæ repleta prophetavit bonis bona, malis mala. Audientes igitur famam ejus Romani, statim nuntiaverunt in conspectum Senatorum. Mittentes ergo senatores legatos ad eam, fecerunt ipsam cum magno honore deduci Romam. Centum igitur viri ex Senatu Romano, somnium in una nocte viderunt singuli. Videbant singuli quasi novem soles esse in cœlo, qui sigillatim divisi, divisas in se figuras habebant. Primus sol erat splendidus et fulgens super omnem terram. Secundus sol splendidior et magnus, æthercam habens claritatem. Tertius sol sanguineo colere flammiger, igneus et terribilis, ac demum splendidus satis. Quartus sol, quarta generatio est tempore Christi. Quintus sol erat tenebrosus, sanguineus et lampas sicut in tonitru tenebroso. Sextus sol tenebrosus nimis habebat aculeum stimulum scorpionis. Septimus vero sol terribilis erat et sanguinem iterum habens in medio gladium. Octavus autem sol erat effusus, sanguinem habens colorem in medio. Nonus autem sol erat minis tenebrosus, unum tamen habens radium fulgentem. Quumque Romam ingressa esset Sibylla, videntes eam cives Romani, admirabantur nimiam pulchritudinem ejus, erat enim venusto aspectu, decora vultu, eloquens in verbis, atque Dei pulchritudine satis bene composita, suis auditoribus dulce præbebat eloquium. Venientes autem viri, qui somnia viderant, dicunt

ad eam : Magistra et domina, quæ ad magnum decorem est corpus tuum, qualem nunquam in fœminis, præter te vidimus, precamur, ut somnium, quod omnes nos in una nocte vidimus, quid futurum præmonstret, aperias. Respondens Sibylla dixit ad eos. Non est æquum in hoc loco, stercoribus pleno et diversis contaminationibus polluto, sacramentum hujus visionis detegere. Sed venite, ascendamus ad Apeninum montem et ibi adnuntio vobis, quæ ventura sunt civibus Romanis. Et fecerunt ut dixit. Quos interrogavit et illi visionem, quam viderant, naraverunt ei. At illa dixit ad eos, novem soles, quos vidistis omnes, futuras generationes præsignant. Quod vero dissimiles eos vidistis, dissimilis erit vita in filiis hominum. Primus autem sol prima generatio est : erunt homines simplices et clari, amantes libertatem, veraces, mansueti, benignissimi, amantes consolationem pauperum et satis sapientes. Secundus autem sol secunda generatio est : erunt homines splendide viventes, crescentes multum, Deum colentes, sine malitia conversantes in terra. Tertius vero sol tertia generatio est, exurget gens contra gentem, et erunt pugnæ magnæ in Roma. Quartus autem sol quarta generatio est : erunt homines, quod verum est, abnegantes et in diebus illis exurget mulier de stirpe Hebræorum nomine Maria, habens sponsum nomine Joseph, et procreabitur ex ea, sine commixtione viri, de Spiritu Sancto filius nomine Jesu, et ipsa erit virgo ante partum, virgo post partum; qui vero ex ea nascetur, erit

verus homo, sicut omnes prophetæ prædicaverunt, adimplebitque legem Hebræorum et adjunget sua propria insimul, et permanebit regnum ejus in sæcula sæculorum. Nascente autem eo, exercitus angelorum a dextris et a sinistris erunt, dicentes : « Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. » Veniet namque nox super eum dicens. « Hic est Filius meus dilectus ipsum audite. » Erant ex sacerdotibus Hebræorum, qui audientes hæc verba indignati dixerunt ad eam : Ista verba terribillia sunt, sileat hæc regina. Respondens Sibylla dixit eis : O Judæi, necesse est ista fieri, sed vos non credetis in eum ! Dixeruntque nos non credemus, quia Verbum et Testamentum dedit Deus patribus nostris et non auferet manum suam a nobis. Respondit eis iterum, Deus cœli sibi generaturus est Filium, ut scriptum est, qui similis erit Patri suo, et postea ut infans per ætates crescet, et insurgent reges in eum et principes terræ. In diebus illis erit Cæsari Augusto celebre nomen et regnabit in Roma et subjiciet omnem terram sibi. Non multi vel non pauci, non tres neque duo sunt dii, sed unus Deus solus et immensus, qui fecit cœlum et terram, solem, stellas et lunam frugiferamque terram et mare. Qui autem illum honorant, æternam vitam hæreditabunt, perpetuum cujus ipsi hæreditabunt paradisum. Mortuorum vero simul resurrectio erit, et claudorum cursus velocissimus erit; surdi audient et cæci videbunt; non loquentes loquentur; et quinque panibus quinque milia hominum saturabit et colligentur

reliquiæ, fragminum duodecim cophini exinde replebunt in spem populorum. Veritas compescens verbo, mare calcans, ambulans super undas, infirmitates omnibus solvet; surgere faciet mortuos, repellens multos dolores; ex pane uno saturatio erit vivorum. Sed quum omnia fuerint perfecta, quæ dixi, in ipso resolvetur lex et impias manus postea inveniet. Post hæc convenient sacerdotes Hebræorum contra Jesum, quia multa signa faciet, comprehendentque eum, dabunt Deo alapas manibus incestis, et in vultu sacro expuent venenata sputa. Dabit vero ad verbera sanctum dorsum simpliciter et colaphas accipiet; tacebit, ne quis agnoscat unde verbum venit; corona spinea coronabitur; ad cibum autem fel et ad sitim acetum dabunt; et suspendent eum in ligno et occident; templi vero velum scindetur in medium et dies erit tenebrosus per horas sex, et sortem mortis finiet tribus diebus somno suscepto, et tunc ab inferis regressus ad lucem veniet. Et nihil valebit eis, quia die tertia resurget et ostendet se discipulis suis et ipsis videntibus in cœlum ascendit, et regni ejus non erit finis. Dicunt me Judæi insanam et mendacem Sibyllam, quum autem facta fuerint omnia, tunc demum reminiscentur mei, et nullus postea me dicet insanam, sed Dei magni Sibyllam. Dixitque principibus Romanorum. Quintus autem sol quinta generatio erit et expugnabunt civitatem istam annos tres et menses sex. Septimus vero sol septima generatio est, et exurgent duo reges, et multas facient persecutiones in terra Hebræorum prop-

ter Deum. Octavus autem sol octava erit generatio, et in desertione erit Roma, et propugnantes utulabunt in tribulationibus et doloribus. Nonus autem sol nona generatio est et exurgent principes Romani in perditionem multorum. » Dein describit Sibylla apud V. Bedam multa bella et principes regnaturos usque ad extremum judicium (vide N. 115) alio loco a nobis citandum, et reproducit acrostichidem juxta versionem S. Augustini (vide N. 106).

ARTICULUS III.

DE GENUINITATE SIBYLLARUM.

50. — Probata jam existentia Sibyllarum, earumque exhibito numero, ex ordine de scriptis, quæ illæ diversis populis reliquerint, et quæ dein inexorabilis temporis sævitia, hominumque incuria atque negligentia partim corrupta, partim penitus deperdita sint, loquendum est. Recte omnibus, quorum (N. 19) monuimus, perpensis circa corruptionem codicum Sibyllinorum nunc existentium, eos respuere, vel saltem in magnum du bium vocare cogimur, et nullis aliis carminibus Sibyllinis authenticitatem denegare non possumus, nisi illa in scriptis antiquorum scriptorum Patrumque Ecclesiæ allegata sint.

51. — Hanc ob causam sequens thesis statuitur :

Carmina Sibyllina, in quantum a scriptoribus Patribusque allegantur, sunt authentica, seu vera atque incorrupta.

52. — Ad clare percipiendam propositionem statutam aliqua præmittenda sunt : *Genuinitas* alicujus libri vel scripti duas involvit quæstiones, 1) *authenticitatis*, quæ

opponitur suppositioni, 2) *integritatis*, quæ opponitur corruptioni libri. *Authenticitas* alicujus libri significat : hunc librum vere reapse fuisse ab illo auctore, cui tribuitur, conscriptum. *Integritas* autem importat, quod sensus ab auctore intentus atque libro datus sive per mutilationem, sive per additionem verborum, quæ mutationem significationis producere possint, nec alienatus, nec alteratus sit.

53. — Quare verus legitimusque propositionis nostræ sensus est : omnes allegationes atque citationes Sibyllarum in scriptis veterum auctorum Patrumque Ecclesiæ factæ, nec apocryphæ, seu suppositæ ac confictæ, nec ullo modo mutatæ, vitiatæ, et corruptæ sunt adeo, ut perfecte consonent et concordent authenticis codicibus, qui usque ad sæculum V^um^ pervenere atque conservati fuerunt (Vide N. 16).

54. — Nunc probare nostram thesim laborem assumimus.

Si quæcumque suppositio atque corruptio in allegationibus Sibyllinis perfici, imo si tantum fingi posset; hoc certe : vel per gentiles, vel per Christianos perpetratum fuisset. Atqui neutrum admitti potest. Ergo allegationes supradictæ sunt authenticæ et incorruptæ.

55. — Et quidem, nec suppositio nec corruptio admitti potest ex parte gentilium : A) *ratione ipsius rei*, nam veritates enuntiatæ a Sibyllis, et per allegationes scriptorum conservatæ, superabant captum eorum, præsertim in prædictionibus de Salvatore venturo, adeo, ut

etiam post adventum Christi, eum cognoscere atque recipere se recusarint ethnici. — B) *Ratione auctorum*, qui multo prius ante Christi adventum de ipso prædictiones Sibyllinas scriptis suis inseruerunt ideoque, si despiciamus authenticitatem Sibyllarum, admittere cogimus : omnes auctores, qui edocti per carmina Sibyllina de Rege Salvatore scripserint, imo totum populum ethnicum præsertim Romanum, qui claras de ipso habebat traditiones, vaticinasse et futura prædixisse, quod absurdum est. — C) *Ratione ipsorum ethniconum*. Nec suppositio, nec corruptio carninum Sibyllarum post adventum Christi, ejusque doctrinæ propagationem admitti potest, nam tunc temporis : vel omnes auctores de Rege venturo et auctoritate Sibyllarum loquentes, corruptos esse propuguandum est, quod non solum ridiculum, veritati contrarium esset, sed etiam ipsi nostri adversarii asserere non auderent ; — vel credendum est, quod ethnici tam crudeles Christianorum persecutores, tam hostiles ac infensissimi ipsius nominis Christiani inimici, in ejus favorem Sibyllarum testimonia interposuerint, interpolaverint ac corruperint ad arma contra se ipsos pergenda Christianis, qui ad suam Religionem defendendam atque perpugnandam contra sophistas ac sacerdotes gentites argumenta sua sæpe sæpius ex carminibus Sibyllinis hauriebant atque assumebant. Atqui hoc impossibile est. Ergo gentiles nec supposuerunt, nec viatiarunt carmina Sibyllina, imo ex historia contratrium eruitur (Vide N. 7 et 9). Et reapse, nec auctores vete-

res deplorant et conqueruntur de corruptione carminum Sibyllinorum, nec hoc in reos eorum custodes *Quindicimviri* animadvertunt, nec denique hujus criminis ipsi Christiani ethnicos accusant.

56. — Item suppositio vel corruptio Sibyllarum impossibilis est ex parte christianorum. A) *Ratione Christianæ religionis*, quæ abhorret et in odio tenet omne mendacium et imposturam, quæ suis fautoribus, etiam imminente mortis periculo, veritatem confiteri ac defendere jubet. Ergo religio, quæ talia principia inculcat suis fautoribus; impossibile est, ut ad eos adipiscendos et consequendos ad vile et nefandum mendacii medium recurrat. — B) *Ratione ipsorum Christianorum*, qui srenue omnes cruciatus atque tormenta, ipsamque mortem sustinuerunt atque reportarunt in testimonio ferendo atque defensione suæ religionis. — Quomodo igitur concipi potest, eos ipsos in propagatione suæ religionis, quam esse divinam vere persuasi fuerint, potuisse adhibere media illicita inhonestaque? — quibus certo, quæcumque suppositio, quæcumque sive per additamenta, sive per mutilationem facta corruptio carminum Sibyllinorum adscribenda est. Denique C) *ratione ethnicorum*. Si Christiani, præsertim eorum scriptores, quamcumque adulterationem Sibyllarum, ad faciliorem celerioremque reddendam suæ Religionis propagationem, tentassent; statim illud ethnici, præprimis eorum superstitiosi sacerdotes, impii augures et philosophi-sophistæ, authenticos Sibyllarum codices in manibus suis

habentes, reclamassent, protestassent et de hoc falso zelo unius scriptoris profitendo, omnes Christianos, veluti sacrorum librorum falsarios ac profanatores, accusassent et haud mihi ambigam, quod contra Chistianos suam implacabilem sævitiam denoviter exercere, atque suos conatus extinguendi totam Christi republicam renovare non omisissent. Atqui unquam nec auctores ethnici scriptoribus Christianis malam fidem in citandis Sibyllis exprobrayere, nec in historia sacra legimus, quodam terrarum loco hac de causa persecutionem contra Christianos a gentilibus intentam vel, ordinatam fuisse. Ergo Christiani auctores omni vacantur suspitione supponendi vel vitiandi versus Sibyllinos, quos in suis operibus contra Gentiles ad veritatem promptius atque expeditius evincendam probandamque allegare solebant.

57. — Et sane quum sophista Celsius, infensissimus Ecclesiæ inimicus, tentasset Christianis, (qui tam sæpe utebantur auctoritate Sibyllarum contra Gentiles dimicando, ut ab ipsis nomen *Sibyllis tarum* sortiti sint) objicere adulterationem carnimum Sibyllinorum, Orygenes eum tam fortiter reprehendit atque refutavit, ut dein nemo Gentilium-impium Celsi exemplum sequi auderet. Ita Orygenes libro 7° contra Celsum scribit N. 53 « CELSUS. *Et Sibyllam cujus auctoritate quidam e vestris utuntur, si Dei filiam esse dixissetis, probabilius fuisset. Nunc autem cum in ejus scriptis multa impia temere inserueritis, Deum esse vultis eum, qui vitam infamem*

morte miserabili finivit. Origenes N. 56 ad allatam objectionem respondens subdit. « *Nescio, quomodo nos melius facturos fuisse, si Sibyllam Dei filiam appellassemus potius quam Jesum, affirmatque a nobis multa æque impia in ejus scriptis inserta esse : nectamen indicat, quid insertum a nobis fuerit. Quòd fecisset, si puriora monstrasset exemplaria, ubi non viderentur ea quæ inserta fuisse, existimat, imo nec ostendit quidem illa esse impia.* ».

58. — Ad removendam omnem suspitionem, carmina Sibyllæ Erythrææ vitiata fuisse, ideoque illam adeo mirificè in sua acrostichide passionem Christi prædicare, Constantinus Magnus in Oratione ad Patres Nicænos habita apud Eusebium Cæsaræensem, cap. 19 in vita Const. M. hoc confecit argumentum « *Verum multi sunt, qui nullam fidem ei* (acrostichidi Sibyllæ Erythrææ de passione Christi, vide N. 105) *adjungunt : idque cum fateantur, Sibyllam vatem Erythræam extitisse. Imo vero suspicantur quendam nostræ religionis Professorem, Poëticæ non ignarum, ista Carmina contexuisse : falsoque inscripta esse, et inter Sibyllæ oraculæ numerata : quæ sane sententias perquam utiles, cum ad nimiam voluptatum licentiam circumcidendam tum ad adytum, recta ad temperantem; modestamque vitam perducentem, aperiendum continent. Verum de hujus rei veritate satis constat, quippe nostri homines, tempora adeo accurate et magno studio collegerunt, ut nemo possit suspicari, hoc poëma post*

Christi in terras descensum editum fuisse, atque illi propterea mendacii perspicue convincuntur, qui ista Carmina non olim a Sibylla condita esse, prædicant. Perspicuum enim est, Ciceronem istud poëma cum forte perlegisset, in Latinum convertisse sermonem, suisque scriptis attexuisse, quem ab Antonio rerum summa potito interfectum constat : Antonium autem ab Augusto, qui quinquaginta sex annos regnavit, superatum : Augusti item successisse Tiberium cujus temporibus Servatoris adventus mundo illuxit, et sanctissimæ religionis mysterium vigere cœpit, et nova secuta est populi propagatio. De qua arbitror eum, qui ex poëtis Italorum est facile præstantissimus, ita cecinuisse. » JAM NOVA PROGENIES COELO DIMITTITUR ALTO.

Cuique, qui cum attentione hoc testimonium perlegat clare aperteque patet : Constantinum non solum omnem corruptionis carminum Sibyllinorum suspitionem removere, sed etiam impossibilitatem hujus corruptionis historice demonstrare, adumbrando recognitionem eorum tempore Augusti et Tiberii peractam, de qua N. 11 et 12 monuimus.

59. — Ast his gravissimis testimoniis non acquiescentes, ad Lactantium recurrimus, qui in suis operibus tam sæpe tractat de Sibyllis, earumque Carmina plus quam 50 vicibus allegat. Is igitur ecclesiasticus scriptor libro 4, capite 15, suarum « *Institutionum Divinarum* » allatis versibus Sibyllæ de miraculo Christi. « *In panibus*

simul quinque et piscibus duobus hominum millia in deserto quinque satiabat, et reliquias tollens post fragmenta omnia duodecim cophinos implebit in spem multorum « ita prosequitur » *His testimoniis quidam revicti, solent eo confugere, ut ajant, non esse illa carmina Sibyllina, sed a nostris conficta atque composita. Quod profecto non putabit, qui Ciceronem Varronemque legerit aliosque veteres, qui Erythræam Sibyllam, cæterasque commemorant, quarum ex libris ista exempla proferimus, qui autores ante obierunt, quam Christus secundum carnem nasceretur. Verum non dubito, quin illa Carmina prioribus temporibus pro delinamentis habita sint, cum ea nemo tum intelligeret. Demonstrabant enim monstruosa quædam miracula, quorum nec ratio, nec tempus, nec auctor designabatur. Denique Erythræa fore ait, ut diceretur insana et mendax* « DICUNT INSANAM VATEM ET MENDACEM. CUM AUTEM FACTA FUERINT UNIVERSA, TUM MEI MEMINERITIS, NEQUE ME JAM QUISQUAM MENDACEM DICET DEI MAGNI PROPHETAM. » Testimonium hoc pro nobis maximi est valoris, nam non tantum omnem corruptionem respuit, sed etiam demonstrat rationem suspitionis ex parte natæ ethnicorum, qui, videlicet, extraneis prædictionibus rebusque pro iis incomprehensibilibus mirifice capti, aliquando dubitabant de authenticitate Sibyllarum. At jam Eusebius Cæsaræensis in Vita Constantini (vide N. 58) refutavit hanc Gentilium conjecturam, et quemcumque corruptionem esse impos-

sibilem demonstravit. Ergo carmina Sibyllina a scriptoribus nobis transmissa nec supposita, nec corrupta sunt.

60. — Denique S. Augustinus Ep. Hipponensis, lib. 18 de Civitate Dei, ut convinceret ethnicos de divinitate Christi ad auctoritatem Sibyllarum recurrit, defenditque eam ab omnibus dubiis et suspitionibus his verbis, cap. 46 : « *Cum scripturis nostris non credunt* (Ethnici) *complentur in eis, quas cæci legunt. Nisi forte quis dixerit, illas prophetias Christianos finxisse de Christo, quæ Sibyllæ nomine, vel aliorum proferuntur, si quæ sunt, quæ non pertinent ad populum Judæorum.* Capite autem 47 ejusdem libri S. Augustinus probare, Sibyllas prophetizasse ex inspiratione divina, quia earum vaticinia de Christo consonant Prophetis Judæorum, conatur, et hoc quidem per comparationem reciprocam codicum, ait enim : « *Sed quæcumque aliorum Prophetiæ de Dei per Christum Jesum gratia proferuntur, possunt putari a Christianis esse confictæ. Ideo nihil est firmius ad convincendos quoslibet animos, si de hac re contenderint, nostrosque fulciendos, si recte sapuerint, quam ut prædicta de Christo ea proferantur, quæ in Judæorum scripta sunt Codicibus.* » Ex his testimoniis S. Augustini clare eruitur, prædicta Sibyllarum consonare Prophetis Hebræorum et ideo a Christianis, qui ea magni momenti faciebant, nec conficta, nec corrupta esse censenda.

ARTICULUS IV.

DE VATICINIIS SIBYLLARUM.

§ I. — *De possibilitate vaticinii.*

61. — Quamvis post superius dicta de Sibyllarum genuinitate, directe ad ultimam quæstionem resolvendam, eo magis quod vaticinia de Christo a Sibyllis enuntiata nihil aliud sint quam ad constatandum factum facillimum, procedere possimus, attamen ut manifestius ignorantiam atque imperitiam aliorum, vel perversitatem malamque aliorum criticorum fidem demonstremus, prius de possibilitate vaticinandi et quidem per inspirationem divinam tractare sibi proponimus. — Quare ad quosdam ex catholicis scriptoribus, qui Sibyllas ad Pythonissas auguresque ethnicos reputant, ut P. J. Perrone, vel qui eas opere dæmoniorum prædixisse desiderant, convincendos, nec minus ad nœcriticus, qui ex impossibilitate vaticinandi ab ipsis veluti principium posita, suppositionem et corruptionem Sibyllarum demonstrare volunt, reputandos — tesim sequentem statuimus.

Nom solum nihil obstat, ut Sibyllæ ex inspiratione divina vaticinatæ sint, sed contra ex auctoribus coëvis Patrumque opinione, eas de facto multa prædixisse, constat.

62. — Probationum nostrarum duplicem adstruemus, seriem, quarum altera : 1) ex natura vaticinii; 2) ex exemplis S. Scripturæ; 3) ex Providentia divina; 4) ex doctrina ipsa Sibyllarum *pro prima*; altera autem ex testimoniis scriptorum, tam Gentilium, quam Christianorum, *pro alia parte propositionis* argumentum erit. — Prior igitur pars propositionis est : *Nihil obstat, ut Sibyllæ ex inspiratione divina vaticinatæ sint*, quæ doctrina sequentibus fulcitur argumentis.

63. — *Probatur* 1) *ex natura vaticinii. Vaticinium,* vel melius *prophetia* (πρὸ φάω) est prædictio, seu dictio rei ante eventum. Attamen hanc generalem notionem vaticinii quibusdam explicationibus, quas nobis S. Thomas Aquitanus in parte 2. 2, quæst. 171, art. 3, suppeditat, adnotari oportunum erit, ut definitio ac potius cognitio vaticinii clarior pro lectore evadat. Juxta mentem divi Thomæ vaticinium proprie dictum definiri potest : *Prædictio certa futuri alicujus eventus, qui ex naturalibus causis prævideri non potest, seu est manifestatio rei futuræ, plane contingentis.* — Quare quisque videt, vaticinium proprie dictum gaudere debere sequentibus proprietatibus ; 1) vaticinium debet esse prænuntiatio certa ac determinata; 2) rei nondum existentis; 3) nec cum rebus existentibus

ullum nexum necessarium habentis. Hinc prædictio eventus alicujus, qui scientiarum physicarum ope, vel experientia ac praxi prævideri potest, nondum dicitur proprie dictum vaticinium.

64. — Dein hæc futuræ rei prædictio potest esse : vel *interna cognitio rei*, quæ annuntiatur, vel *simplex et exterior narratio facti*, quod ab ipso vaticinante nec intelligitur, nec comprehenditur, ut sæpe ipsis etiam Prophetis Dei obtigit. Veluti miraculum ita etiam et vaticinium, juxta omnes theologos, perninet ad hanc gratiæ speciem, quam scholastici nominant *gratiam gratis datam*, id est datam a Deo homini sine ullo ejus merito.

65. — Quare *gratia gratis data* conceditur homini non in commodum ipsius, sed ad utilitatem et profectum aliorum, ideoque de ea nemo præsumere potest; et J. Christus aperte suos discipulos, postquam eis miracula patrandi, vaticinandique potestatem dedit, monuit, apud Lucam, cap. 10, ver. 20 : « *Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia Spiritus vobis subjiciuntur ; gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in cœlis ;* quem textum S. Clemens Romanus, lib. 8 Const., cap. 1 interpretans, ait : « *Non quidem ad illorum utilitatem, qui charismata* (id est : miracula et vaticinia) *operatur, sed ut, qui non credunt, ad credendum adducantur.* »

66. — Eamdem doctrinam reliquit nobis. S. Thomas parte 2. 2, quæst 172, art. 4, resp. ad 1 : « *Donum prophetiæ aliquando datur homini, et propter utilitatem*

alionum, et propter propriæ mentis illustrationem : et hi sunt, in quorum animas sapientia divina per gratiam gratum facientem se transferens, amicos Dei et prophetas constituit. Quidam vero consequuntur donum prophetiæ solum ad utilitatem aliorum, qui sunt quasi instrumenta divinæ operationis. Unde Hieronymus dicit super Matthæum (cap. 7 in illud : *Nonne in nomine tuo prophetavimus?*) « PROPHETARE, ET VIRTUTES FACERE, ET DÆMONIA EJICERE, INTERDUM NON EST EJUS MERITI, QUI OPÆRETUR, SED VEL INVOCATIONE NOMINIS CHRISTI HOC AGIT, VEL OB CONDEMNATIONEM EORUM QUI INVOCANT, ET UTILITATEM EORUM QUI VIDENT ET AUDIUNT, COCEDITUR. »

67. Quum sæpe vaticinium sit mere *gratia gratis data* (S. Thomas, pars 2, 2, quæst. 171, *prologus.*) ideoque ad eam consequendam ex parte hominis, nec requiritur *naturalis dispositio* ejus, ut verbi gratia : perspicacitas, memoria, ratio, etc., *nec boni mores* necessarii omnino sunt. De dispositione naturali hac in materia S. Thomas, parte 2, 2, quæst. 172, art. 2 dicit : « *Est autem considerandum, quod sicut Deus qui est causa universalis in agendo non præexigit materiæ dispositionem in coporalibus effectibus, sed simul potest et materiam, et dispositionem, et formam inducere : ita etiam in effectibus spiritualibus non præexigit aliquam dispositionem; sed potest simul cum effectu sprirituali inducere dispositionen convenientem, qualis requiritur secundum ordinem naturæ. Et ul-*

terius posset etiam simul per creationem producere ipsum subjectum, ut, scilicet, et animam in ipsa sua creatione disponeret ad prophetiam et daret ei gratiam prophetalem. » De bonitate morum relate ad prophetiam, ita S. Thomas, parte 2, 2, quæst. 172, art 4, disseruit : « *Bonitas morum potest attendi secundum duo : uno quidem modo, secundum interiorem ejus radicem, quæ est gratia gratum faciens; alio autem modo, quantum ad interiores animæ passiones et exteriores actiones. Gratia autem gratum faciens ad hoc principaliter datur, ut anima hominis Deo per caritatem conjugatur. Unde Augustinus dicit in XV.* de Trinitate (cap. 18, circa. princip.) : *Nisi impertiatur cuique Spiritus Sanctus, ut eum Dei et proximi faciat amatorem , ille a sinistra non transfertur ad dexteram. Unde quidquid potest esse sine caritate, potest esse sine gratia gratum faciente, et per consequens sine boninate morum. Prophetia autem potest esse sine caritate : quod apparet ex duobus. Primo quidem, ex actu utriusque. Nam prophetia pertinet ad intellectum, cujus actus præcedit actum voluntatis, quam perficit caritas : unde et Apostolus* 1 *ad Corinth.* 13, *prophetiam annumerat gratiis ad intellectum pertinentibus, quæ possunt sine caritate haberi. Secundo, ex fine utriusque; datur etiam prophetia ad utilitatem Ecclesiæ, sicut et aliæ gratiæ gratis datæ, secundum illud Apostoli* 1 *ad Corinth.* 12, 7 : UNIQUIQUE DATUR MANIFESTATIO SPIRITUS AD UTILITATEM » *non autem*

ordinatur directe ad hoc, quod affectus ipsius Prophetæ conjungatur Deo, ad quod ordinatur caritas. Et ideo prophetia potest esse sine bonitate morum, quantum ad propriam radicem hujus bonitatis.

Si vero consideramus bonitatem morum secundum passiones animæ et actiones exteriores, secundum hoc impeditur aliquis a prophetia per morum malitiam. Nam ad prophetiam requiritur maxima mentis elevatio ad spiritualium contemplationem, quæ quidem impeditur per vehementiam passionum, et per inordinatam occupationem rerum exteriorum. Unde et de filiis Prophetarum legitur. IV. Reg. 4 : « *Quod* SIMUL HABITABANT CUM ELISÆO, *quasi solitariam vitam ducentes, ne mundanis occupationibus impedirentur a dono Prophetiæ.* »

68. — Ex hucusque dictis clare aperteque patet : nihil obstare, ut Sibyllæ ex inspiratione divina vaticinarentur; eo magis quod vaticinium, ut *gratia gratis data*, nullam dispositionem, nec morum bonitatem ex parte Sibyllarum expostulabat, ideoque earum ethnicismus non ponebat obicem, neque impediebat ad hanc gratiam saltem modo externo repiciendam. Dein Sibyllarum castitas perpetue et voluntarie conservata, erat juxta S. Hieronymum, lib. 1 contra Jovinia, (vide N. 2), *insigne mertum* ad eis gratiam vaticinandi in *extraordinaria œconomia Providentiæ divniæ* tribuendam (1).

(1) Dictum est « *in extraordinaria œconomia divinæ Providen-*

Porro vaticinium ut *gratia gratis data* concessa fuit non in commodum Sibyllarum ad pecunias, vel famam et honores apud Gentiles recuperrandos, sed gratiam hanc Sibyllæ recipere in utilitatem ethnicorum, ut eos disponerent atque ad Salvatorem venturum cognoscendum præpararent. Ergo ex notione theologica naturæ, proprietatum, ac conditionum vaticinii proprie dicti sequitur, Sibyllas ex inspiratione divina vaticinari potuisse, et opinionem hanc minime doctrinam cathonicam de gratia vaticinioque offendere.

69. —Probatur 2° ex *Exemplis S. Scripturæ*. Quamvis superius, de natura vaticinii tractando, demonstraverimus vaticinium ex parte hominis illud enuntiantis nec dispositionem, nec mores bonos requiri, attamen loco præsenti doctrinam hanc Sibyllis applicatam exemplis S. Scripturæ comprobare volumus. In Sacris Codicibus complura inveniuntur vaticinandi per inspirationem divinam exempla, non solum apud homines perversos

---

tiæ » nam ex doctrina catholica de gratia scimus, ad gratiam supernaturalem, qualis est gratia vaticinii proprie dicti, promerendam, requiritur meritum ejusdem ordinis supernaturalis, quod certe Sibyllæ ut Gentiles habere non protuerint. Ast *in ordine extraordinariæ œconomiæ Providentiæ divinæ,* scilicet, præparare ethnicos per prophetas ipsorum ad Christum cognocendum atque recipiendum, quodammodo dici potest, castitatem Sibyllarum fuisse meritum. Quod tamen *meritum* veluti simpliciter ordinis naturalis, sine gratia supernaturali peractum, non fuit capax ac dignum promerendi in sensu proprio gratiam vaticinii.

undique malos, sed etiam apud dœmonum nuntios. S. Thomas, part. 2, 2, quæst. 172, art. 6, ait : « *Prophetæ dæmonum non semper loquuntur ex dæmonum revelatione, sed interdum ex inspiratione divina : sicut manifeste legitur de Balaam, cui dicitur Dominus esse locutus Num. XXII, licet esset propheta dæmonum : quia Deus utitur etiam malis ad utilitatem bororum. Unde et per prophetas dæmonum aliqua vera prænuntiat, tum ut credibilior fiat veritas, quæ etiam ex adversariis testimonium habet : tum etiam, quia cum homines talia credunt, per eorum dicta magis ad veritatem inducuntur. Unde etiam Sibyllæ multa vera prædixerunt de Christo* (1).

70. — Ita, iter alia exempla divinationis per inspirationem divinam, primum locum tenet Balaam. — *Qui*, ut ait B. Petrus Ap., Ep. 2, cap. 2, vers. 15 : *mercedem iniquitatis amavit,* et qui tamen cum Deo pluribus vicibus locutus est (Num., cap. 22, vers. 5, 8, 12, 20) et de Christo vaticinatus est (Num., cap. 24, vers. 17) Balac Regi Moabitarum : « *Videbo eum, sed non modo; intuebor illum, sed non prope. Orietur Stella ex Jacob, et consurget virga de Israel; et percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth.* »

(1) Verba hæc S. Thomæ : « *Unde etiam Sibyllæ multa vera prædixerunt de Christo,* » quamvis Sibyllas prophetis dæmonum reputent, attamen loco hoc gravissimnm testimonium atque auctoritatem constituunt, quibus confirmatur nostra doctrina, scilicet : *Sibyllæ ex inspiratione divina de Christo divinasse.*

71. — *Saul*, Rex Hebræorum, persecutor David (1. Reg., cap. 23), *trucidator sacerdotum Domini* (1. Reg., cap. 22, 18); *infidelis et inobediens mandatis Domini* (1. Reg., cap. 13, 15), *consultor mulieris pythonem habentis* (1. Reg., cap. 28, 7), denique *suicida* (1. Reg. cap. 31, v. 4); — his omnibus non obstantibus prophetizavit, nam (1. Reg., cap. 19, vers. 23 et 24) legimus de ipso : « *Et abiit in Naioth in Ramatha, et factus est etiam super eum Spiritus Domini, et ambulabat ingrediens, et prophetabat usque dum veniret in Naioth in Ramatha. Et expoliavit etiam ipse se vestimentis suis, et prophetavit cum ceteris coram Samuele, et cecidit nudus tota die illa et nocte; unde et exivit proverbium : Num et Saul inter prophetas?* »

72. — Non deficit exemplum divinationis in Novo Fœdere, quod nobis offert Caiphas sententiæ mortis in Christum promotor. De eo apud Joannem (cap. 11, vers. 49. — 51) legimus : « *Unus autem ex ipsis* (Pharisæis et Pontificibus) *Caiphas nomine, quum esset pontifex anni illius, dixit eis : Vos nescitis quidquam. Nec cogitatis quia expedit vobis* UT UNUS MORIATUR HOMO PRO POPULO ET NON TOTA GENS PEREAT. *Hoc autem a semetipso non dixit; sed quum esset pontifex anni illius, prophetavit quod Jesus moriturus erat pro gente.*» Loco hoc *quodam sensu* annumerari potest, quod Lucas, cap. 4, vers. 41 de dæmoniis Christum incipientem suam missionem implere ideoque fere mundo incognitum adorantibus scripsit : « *Exibant autem dæmonia a*

multis clamantia et dicentia: Quia tu es Filius Dei. Et increpans non sinebat ea loqui: quia sciebant ipsum esse Christum.

73. — Si igitur homines tam perversæ moralitatis characterisque, iniqui ob utilitatem aliorum per inspirationem divinam vaticinabantur, cur neganda est eadem facultas Sibyllis virginibus castis, modestis virtuosisque, quarum vaticinia non uno populo sed toti gentilitati antiquæ utilitatem prebere valebant? Nos in hac quæstione nullo dubio premi fratemur, eo magis quod doctrina nostra auctoritate ipsius Divi Thomæ adjuvetur. Sanctus ille Doctor Ecclesiæ, parte 2, 2, quæst. 2, art. 7, ad 3um, in præsenti materia talem protulit sententiam : « *Ad tertium dicendum, quod multis Gentilium facta fuit revelatio de Christo, ut patet per ea, quæ prædixerunt, nam Job*, cap. 19, ver. 25, *dicitur.* » SCIO QUOD REDEMPTOR MEUS VIVIT. » *Sibyllæ etiam prænuntiant quædam de Christo, et Augustinus dicit* (Lib. 13 contra Faust., cap. 15) *invenitur etiam in Historiis Romanorum, quod tempore Constantini Augusti et Irenæ matris ejus inventum fuit quoddam sepulcrum, in quo jacebat homo auream laminam habens in pectore, in qua scriptum erat :* « CHRISTUS NASCETUR EX VIRGINE ET EGO CREDO IN EUM. O SOL SUB IRENÆ ET CONSTANTINI TEMPORIBUS ITERUM ME VIDEBIS. » *Si qui tamen salvati fuerunt, quibus revelatio non fuit facta, non fuerunt salvati absque fide Mediatoris, quia etsi non habuerunt fidem explicitam, habue-*

runt tamen fidem implicitam in divina providentia, credentes Deum esse liberatorem hominum secundum modos sibi placitos, et secundum quod aliquibus veritatem cognoscentibus spiritus revelasset, secundum illud fol. 3, cap. 35, vers. 11, QUI DOCET NOS SUPER JUMENTA TERRÆ ET SUPER VOLUCRES CŒLI ERUDIT NOS. »

74. — Forsan aliquis dexerit, exempla S. Scripturæ a nobis allata inter et Sibyllas veluti fœminas, quæ juxta S. Paulum (1. ad Corinth. cap. 14, 34 : *Mulieres in Ecclesiis taceant, non enim permittitur eis loqui; sed subditas esse, sicut et lex dicit*) ministerium divinum exercere valeant, nullam esse analogiam, ideoque eas vaticinari non potuisse.

Difficultati huic respondemus, prius exemplo S. Scripturæ, dein auctoritate Origenis ac S. Augustini, quam Cornelius a Lapide allegavit in suis Commentariis in S. Codices.

Vetus Testamentum sequentibus mulieribus nomen prophetissæ tribuit : *Mariæ* sorri Moysis (Exod. XV), *Debboræ* (Judic. IV), *Annæ* uxori Elcanæ (1. Reg. II), *Holdæ* (4. Reg. XXII), *Uxori* Isaiæ (Is. VIII, 3), *Judith* (Jud., cap. 16). Novum Testamentum nomine prophetissarum honorat *Mariam Virginem* (Luc. 1, 46), *Elisabeth* (Luc., cap. 1), et *Annam* filiam Phanuel (Luc., cap. 2) et *quatuor filias* Diaconi Philippi (Ac. Ap., 21, 9).

Mulieres posse prophetiæ dono gaudere, loquens de Debbora, (Homilia 5 in lib. Judic. anni 2) aperte declarat Origenes : « *Præstat et in hoc non minimam consola-*

tionem mulierum sexui... et provocat eas uti nequaquam pro infirmitate sexus desperent, etiam prophetiæ gratiæ capaces se fieri posse, sed intelligant et credant, quòd meretur hanc gratiam puritas mentis non diversitas sexus. »

Clariorem et magis præcisam in quæstione Sibyllarum protulit S. Augustinus sententiam, quam refert Cornelius a Lapide *in præmis. ad Prophetas : « Denique S. Augustinus* (lib. 19, c. *Faustum*, cap. 2), *triplices distinguit prophetas; primos Gentilium : uti Balaam et Sibyllæ; secundos Judæos, uti fuerunt hi nostri vates; tertios Christianos sive nostri Testamenti ut est : S. Joannes in Apocalypsi, Paulus Apostolus et post eos alii multi. Porro Sibyllæ non dæmonis, sed Dei fuerunt prophetessæ, quæ merito virginitatis, ut asserit Hier,* lib. 1 contr. Jov., (vide N. 2) *donum prophetiæ adeptæ de futuris ac præsertim de Christo, tanta prænotionis certitudine ac claritate vaticinantur, ut præterita magis scribere videantur, quam futura.* »

Ergo ex exemplis S. Scripturæ, Sibyllas vaticinari potuisse, satis demonstratur.

75. — *Probatur* 3° *ex œconomia Providentiæ divinæ.* Apostolus Gentium describens infinitam erga homines bonitatem Dei, ita Eum nobis repræsentat : « *Qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem Veritatis venire* (1. Timot., cap. 2, vers. 4), *qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum* (ad Rom., cap. 8, vers 32). Ex quo testimonio recte

percepto sequitur, ut Deus hominibus suppedetavit et suppeditat media necessaria atque opportuna ad Jesum Christum cognoscendum, ac per ipsum ad æternam salutem perveniendam, tam post, quam ante suum adventum in terram, nam juxta S. Scripturam (Act. Apost., cap. 4, v. 12) : *Non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Ideoque si Prophetæ Judæi annuntiabant Messiam venturum, convenientissimum erat, ut et Gentiles per vates ex ipsis suscitatos præpararentur et adducerentur ad cognitionem receptionemque Salvatoris generis humani; quem convenientiam demonstrat S. Thomas in loco superius citato (vide N. 73). Et reapse, summe Bonus ac Providens Deus dedit gentilibus Sibyllas, quæ non solum multa de vero Deo eos edocebant, sed etiam annuntiabant ipsis Salvatorem venturum, cujus signa ad cognoscendum clare et mirifice describebant. — Quia autem erroribus politheisimi, sensualitate ac vitiis cujuscumque generis ethnici obcæcati et omnino inhabiles erant animum suum ad spiritualia atque res superioris ordinis elevandi, ideoque Deus sua bonitate atque clementia motus ad Gentiles in veritatum cognitione sublevandos adjuvandosque, donavit ipsorum vatibus, Sibyllis, videlicet, talem vim, vigorem, claritatem, perspicuitatem, positivitatemque, quibus prophetæ apud Hebræos vigentes non gaudebant : «. *Quapropter*, ait Auctor *Apparatus* ad Annales Baronii N. 18, *cum cœlitus ad salutem utriusque populi, Judæi atque Gen-*

tilis a Patre Filius mittindus esset in terram : qui totius humani generis reciperetur consensu, consilium Dei fuit, ut longe ante ejus adventum, tantæ rei sacramentum Judæis atque Gentilibus innotesceret. Illis quidem multifariam (quod ait Paulus ad Heb. 1) *multisque modis loquens patribus in Prophetis, hæc predixit, ac figuris adumbravit : Gentiles autem, quod a veritate veri cultus procul abessent, nec facile externæ religionis hominibus admoverent aures, per suos ipsorum vates, de his, quæ ventura erant, voluit præmoneri. Erant hi* (Lactantius, lib. I, cap 6) : *Mercurius, Trismegistus, Hydaspes atque Sibyllæ, sic dictæ a consiliis denunciandis...* »

76. — Hanc convenientiam ex parte Providentiæ divinæ : dare ethnicis proprios vates, quam superius exposuimus, defendit etiam S. Clemens Alexandrinus, imo eos reapse et de facto apud Gentes extitisse, demonstrat ex contionibus Divi Pauli Apostoli, de quibus ita scripsit, lib. 6 *Stromatum* : « *Quarum nonnulla verba in audientium aures sic esse illapsa, putandum est, ut nunquam ea deleret oblivio. Quomodo enim Deus Judæos salvos esse voluit, dans eis Prophetas; ita etiam Græcorum spectantissimos propriæ suæ linguæ exercitatos, prout poterant capere Dei beneficentiam, a vulgo secrevit. Prætre Petri prædicationem, declaravit Paulus Apostolus dicens : Libros quoque Græcos sumite, agnoscite Sybillam, quomodo unum Deum significet, et ea quæ sunt futura : Hydaspem sumite, et legete, et*

invenietis Dei Filium multo clarius et apertius esse scriptum, et quemadmodum adversus Christum multi Reges instruerent aciem, qui eum habent odio, et eos qui nomen ejus gestant, et ejus fideles, et adventum, et tolerantiam. »

78. — *Probatur 4° ex Sibyllarum doctrina.* Possibilitas denique vaticinandi per quamdam vim, impulsum, motum, et permissionem divinam apud Sibyllas probatur, et clare demonstratur ex ipsarum doctrina : de vero Deo, Creatore mundi, atque de vero cultu ejus divino, ex refutatione atque damnatione idolorum, quibus ethnici cultum divinum præstabant.

79. — Hoc loco quidem nimis longum, ast mirifice nostram doctrinam demonstrans, venit testimonium S. Theophili adducere. S. Theophilus, sextus post S. Petrum Patriarcha Antiochenus, libro 2 ad Antolicum, pulcherrimam adstruit comparationem doctrinæ Prophetarum atque Sibyllarum, et per antithesim, quæ ex allegationibus ambarum auctoritatum obtineatur, demonstat : verum Deum esse colendum, deos spurios id est : idola abhorrenda atque detestanda esse; ait enim : « Moises qui et ipse Propheta est, de unitate Dei in hunc mundum disserit (Deut. 17). *Hic Deus vester, qui firmavit cœlum et creavit terram, cujus manus ostendit universam militiam cœli. Non eam vobis monstravit ut post eam abiretis.* Esajas inquit (42) *: Sic dicit Dominus Deus, qui firmavit cœlum, et creavit terram, et ea quæ sunt in ipsa : qui dat spirationem populo super*

ea, et spiritum iis, qui calcant eam. Hic Dominus Deus vester. Iterum per eumdem ait : *Ego feci terram et hominem super ea. Ego manu mea formavi cœlum.* Item in alio capite : « *Hic noster Deus qui paravit extremitates terræ. Non esuriet, nec fatigatur, nec prudentia ejus vestigari potest.* Similiter et Hieremias dicit (10 : 51). *Qui fecit terram in virtute sua, et paravit orbem in sapientia sua, atque intelligentia sua extendit cœlos. Qui per vocem suam dat copiam aquarum in cœli, et levat nubes ab extremitate terræ, ipsi fulgura in pluviam facit, et educit ventum de thesauris suis* » Videre est, quam consona loquuti sunt omnes Prophetæ, uno eodemque spiritu afflati, explanantes unitatem Dei, mundi hominisque generationem. Præterea graviter doluere, deplorantes impium mortalium genus : nec non objurgarunt et reprehenderunt magna severitate eos, qui sibi sapientiam arrogabant, cum essent interim erroribus et tenebris immersi : Heremias clamat (51) : *Infatuatus est omnis homo a scientia, et confusus est omnis conflator propter sculptile, eo quod conflabile ejus mendacium sit, et non sit spiritus in eis. Vanitas sunt et opus errorum, in tempore visitationis eorum peribunt.* Idem sentit et David dicens (Ps. 52) : « *Corrupti et abominabiles factis unt suis studiis. Non est, qui faciat bonum. Non est usque ad unum. Omnes declinaruut simul et inutiles facti sunt.* » Assentitur his et Abachuch inquiens (2). « *Quid prodest sculptile, quia sculpsit illud fictor suis, ut esset conflatile,*

et quod annuntiat mendacium? et tamen fiduciam habent in eo, fictor, scilicet, in figmento suo, ut faceret idola muta. Væ, qui dicit ligno evigila et lapidi insensibili excitare. » His adstipulati sunt in suis prophetiis et reliqui sacrosancti veritatis vates. At quid necesse est, multitudinem enumerare Prophetarum, qui plurimi exhibere et omnia inter se consona adeo, ut nulla contrarietas deprehendi possit, postulare? Si quis ea scire gestit et exacte veritatem ipsam cognoscet. Cæterum Prophetæ ilii, quorum mentio facta est fuere in populo Israëlitico illiterati, pastores, et idiotæ. Verum etiam Sibylla Græcorum et reliquarum Gentium prophetissa in principio suæ prophetiæ invehitur immortalium genus dicens :

80. — Viri mortales et carnis, nihil existentes,
Quomodo statim exaltamini, vitæ finem non inspicientes,
Nec contremiscitis, nec timetis Deum inspectorem vestri,
Altissimum cognitorem et omnium speculatorem, testem omnium
Nutritorem omnium et creatorem, qui dulcem spiritum omnibus
« Indidit, et ducem mortalium omnium statuit,
« Unus Deus solus regnat, magnitudinem excedens, et ingenitus,
» Omnipotens, invisibilis, videns ipse solus omnia,
» Ipse non videtur mortali a carne universa.
» Quæ enim caro potest cœlestem et verum
» Oculis cernere Deum immortalem, qui cœlum habitat?
» . . . .
» Ipsum solum existentem colite ducem mundi,
» Qui solus in sæculum et ex sæculo natus est,

» Ex se genitus, increatus, omnia tenens semper.
» Cunctis mortalibus significans judicium in luce communi,
» Stultitiæ dignum accipietis mercedem,
» Quod Deum ommittentes verum sempiternum
» Laudare, eique immolare sacras hecatombas.
» Dœmonibus sacrificatis, qui sunt in inferno (1). »

81. — Demonstras dein alia Dei attributa, depingens ejus infinitam bonitatem, inculat Sibylla suis gentibus necessitatem Eum colendi ab omni creatura, et sermonem suum contra idola ab ethnicis adorata instituit, denique minatur ipsis extremo judicio, nisi errores suos fugiant. Idola autem ab ethnicis deserenda, ita depingit.

« Homines, quid frustra exaltamini? eradicabimini,
» Erubescite, mustellas et bestias consecrantes,
» Non furor est, et rabidorum hominum vanaque opera?
» Boves furantur dii, rapiuntque ollas,
» Circa aureum polum et fœcundam terram.

(1) Fere eamdem de Deo doctrinam tenet alia Sibylla apud Lactantium, cap. 6, lib. 1, Insti. Divini, dicens : « *Deus autem unus, unus autem nomine non eget, est enim qui est sine nomine. Unus Deus, qui solus est excedens omnem magnitudinem, increatus. Sed Deus solus, unus, eminentissimus, qui fecit cœlum, solemque, et stellas, et lunam, fructiferamque terram, et aquæ maris fluctus. Ipsum, qui solus est, colite principem mundi, qui solus est in sæculum atque a sæculo fuit. Solus enim Deus sum et non alius.* » Et capite 7 ejusdem loci ait :

« *Ex se ortus, non edoctus, sine matre concussus, nomen ne verbo quidem capiendum, in igne habitans, hoc Deus est... Omnia sapiens..... Ex se ortes et ex se ingeniosus.* »

» Vermibus exesa aspexistis, et densis araneis velata
» Timuistis adorantes serpentes, canes, feles; stulti
» Etiam volucres colitis et reptilia animalia terræ,
» Et lapideas statuas et simulachra manufacta,
» Et in itineribus lapidum acervos, hæc adoratis,
» Et alia multa vana, quæ sane turpe fierit prædicare.
» Sunt enim dii hominum deceptores stultorum;
» Horum ex ore funditur letatale venenum... (1). »

82. — Audiamus nunc S. Clementem Alexandrinum ita de doctrina Sibyllarum in sua *Oratione Adhortatoria ad Gentes* scribit. « *Vobis autem magistram adducam vatem Sibyllam :*

« Non sunt responsa hæc Phœbi mendacia, stulti
» Quemque Deum dixere homines, falsoque vocarunt
» Vatem, sed vox ista Dei, similem simulachris
» Quem haud fecere manus hominum, sermonis egenis. »

Hæc quidem tibi prædicit ruinas templorum, significans quidem fore, ut templum Dianæ Ephesiæ terræ hiatibus et motibus absorbeatur, his verbis :

« Abjecta autem Ephesus tristisque in littore flebit,
» Et templum quærens, quod tunc non incolet ullus. »

(1) Alia Sibylla similibus verbis admonet Græcos de ipsorum falsa religione, apud Lactantium, lib. 1, cap. 15, Just. Divini

« Græcia, quid confidis in viros principes?
» Ad quid dona inania mortuis dedicas?
» Quis tibi in mentem errorem imposuit,
» Ut hæc perficias, magni Dei ore relicto? »

Templum autem Isidis et Serapidis in Ægypto diruendum dicit et exurendum :

« Isi Dea in Nili tu undis infausta manebis.
» Sola, et voce carens, Mænasque Acherontis arenis. »

Denique subjicit :

« Tuque Serapi erecta ingens cui saxea moles.
» Magnus in Ægypto misera impendet tibi casus. »

Sed si tu non audis Prophetissam, at tuum audi philosophum Heraclitum Ephesium, quod sint insensiles, exprobrantem imaginibus. »

83. — Si non obstantibus ignorantiæ, erroris, falsitatisque tenebris, quæ universaliter in materia religionis animum rationemque ethnicorum opprimebant atque suffocabant, Sibyllæ, S. Theophilo, Lactantio, ac S. Clemente Alexandrino testantibus, suis populis tam sanam, sublimem, atque divinis Prophetis consonantem doctrinam de Deo vero præstant; quid obstat, ut admittamus Sibyllas per eamdem vim, impulsum, atque inspirationem, per quam de Deo Altissimo ejusque attributis recte docebant, de Christi venturo aliisque futuris eventibus vaticinasse? Si Deus doctrinam de suo vero cultu Sibyllis manifestavit; eumdem Deum, ut recte concluditur ex testimonio S. Clementis Alexandrini (vide N. 76) et Auctoris Apparatus ad Annales Baronii (vide N. 75), Sibyllis permisisse, concessisse suam gratiam de Christo

venturo, ejusque passione, morte ac doctrina vaticinandi; nam hæc vaticinatio, atque futurorum prædictio relate ad Messiam nihil aliud est, quam consequentia doctrinæ purioris : *de Deo*, scilicet, *vero*.

84. — Omnia hucusque prolata argumenta in uno brevi ratiocinio persolvi possunt, hoc modo :

Sibyllæ per inspirationem divinam vaticinabantur, vec ad minus vaticinari poterant, si hoc non adversatur : 1) ex parte Dei, 2) ex parte hominum; videlicet, Sibyllarum ethnicorumque, 3) ex parte rei ipsæ, 4) ex parte doctrinæ earum. Atqui hoc non adversatur : 1) *ex parte Dei*, qui vult omnes homines salvos fieri per cognitionem Filii sui Unigeniti; 2) *ex parte hominum*, nam Sibyllæ non in meritum libere et perpetue conservatæ castitatis, sed in utilitatem totius gentilitatis divinabant; 3) *ex parte rei*, nam vaticinatio Sibyllarum erat simplex et externa rei futuræ ab ipsis incomprehensibilis narratio; 4) *ex parte doctrinæ*, nam Sibyllæ suos populos : Deum verum colendum, idola autem destruenda esse, edocebant. Ergo Sibyllæ per inspirationem divinam vaticinari poterant.

85. — Nunc alteram propositionis nostræ aggredimur partem, scilicet : « EX AUCTORIBUS COËVIS PATUUMQUE OPINIONE PATET : SIBYLLAS DE FACTO MULTA PRÆDISSE, AC PROIN VATICIRASSE. »

Reapse, philosophi aliique scriptores Gentiles ex una parte persuasi atque convicti de superioritate Sibyllarum, de quadam extraordinaria vi ac mystica significa-

tione earum carminum; exaltera parte confiteri suam ignorantiam imperitiamque (quia Sibyllinos libros nec intelligere ipsi, nec eos in multis locis tam pro Christianorum gente claris populo suo explicare poterant), minime. audentes, in plurimas opiniones abjerunt. Ideo carmina Sibyllina nunc insaniæ, furori ac delirio, nunc incitamento naturali, nunc afflatui divino tribuere; nunc acuto Sibyllas ingenii poëtici accumine irresere; nunc gravibus ratiocinii argumentis eas stultitiæ atque superstitionis nota proscripsere. — Omnia ethnicorum scriptorum placita studiose contexuit doctissimus Joannes Perrone in opero suo : « *De virtute Religionis* » loco a nobis jam citato (Vide N° 33).

86. — Ex hac scriptorum ethnicorum erga Sibyllas aversione, quam minime erga augures, pythones aliosque suos vates non manifestarunt; ex hac diversitate opinionum ac sensuum in materia carminum Sibyllinorum, quæ omnia plus minus sunt ejusdem coloris, consilii, doctrinæque, clare : Sibyllas pro ethnicis existentias incomprehensibiles, earum missionem prorsus incognitam, carmina autem ambages, tricas ac inepta figmenta fuisse, eruitur. Ratio autem hujus scriptorum ethnicorum erronei atque injusti de Sibyllis judicii erat posita, et nunc repetenda est ex ipsarum de Christo prædictionibus, quæ etiamsi clarissimæ, perspicuæ, atque magis ad historice narrationis modum, quam vaticinii stylo confectæ fuerint, attamen mentem gentilium sensualitatis, ignorantiæ in materia veræ reli-

gionis, ac malæ voluntatis cæcitate oppressam superabant, eorumque captum in majorem obscuritatem atque idearum confusionem inducebant. Attamen hæc confusio, hæc contradictio ac diversitas judiciorum, quam contexta inferius testimoniorum series ob oculos nostros ponit, minime Sibyllarum auctoritati nocet, sed e contra eam propugnat atque vindicat, et eo magis, quo auctor Sibyllas reprobans est gravior respectuque dignior, quo severior atque implacabilior est critices, quo judicium magis honorem famamque Sibyllarum detrectat atque offendit.

Eo in scopo recensebimus graviorum auctorum opiniones, ut lectores magis persuadeantur, quam magnopere carmina Sibyllina ethnicos præoccupasse.

87. — Ita princeps poëtarum Virgilius de Sibyllis pluras emisit sententias, quæ demonstrant quod superius (N° 86) præbuerimus.

Æneida enim 3, v. 444, ait :

« Insanam vatem aspicies, (Cumæam) quæ rupe sub ima
» Fata canit, foliisque notas, et nomina mandat. »

Æneida 6 Sibyllarum *horrendam*, libros ejus *fatales* appellat. Ejusdem opinionis sunt : Suetonius et Ausonius carmina Sibyllina *libros fatales* denominando. Varietatam et inconstantiam sensus magnam præbent nobis hujus Æneidæ versus sequentes :

v. 9. « At prius Æneas arces, quibus altus Apollo
Præsidet, horrendæque procul secreta Sibyllæ,

Antrum immane petit : magnam cui mentem, animumque
Delius inspirat vates, aperitque futura.

. . . .

℣. 43. Excisum Euboicæ latus ingens rupis in antrum
Quo lati ducunt aditus centum, ostia centum :
Unde ruunt totidem voces, responsa Sibyllæ.
Ventum erat ad limen, quum virgo : poscere fata
Tempus, ait, Deus, ecce Deus. Cui talia fanti
Ante fores, subito non vultus, non color unus,
Non comptæ mansere comæ : sed pectus anhelum.
Et rabie fera corda tument ; majorquo videri,
Nec mortale sonans, afflata est numine quando
Jam propriore Dei. . . . .

℣. 87. At Phœbi nondum patiens, immanis in antro,
Bacchatur vates : magnum si pectore possit
Excussisse Deum, tanto magis ille fatigat
Os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo... »

Denique alio loco apud eundem poëtam hæc leguntur de Sibylla, quæ sat nigris coloribus, Æneida 6, v. 98 et sequ. depingitur :

« Talibus ex adyto dictis Cumæa Sibylla
Horrendas canit ambages : antroque remugit
Obscuris vera involvens, ea fræna furenti
Concutit, et stimulos sub pectore vertit Apollo.
Ut primum cessit furor, et rabida ora quierunt :
Incipit Æneas. . . . .

Rationem harum opinionum percipimus ex ipso poëta

quando canit in Ecloga 4ª de Solonio filio Asinii Pollionis, ipsi applicans Sibyllæ prædicta (Vide N. 101).

88. — Nunc pergimus ad oratorum scriptorumque antiquitatis principem, qualis certo fuit Tullius Cicero. Hoc lumen gentilitatis etiamsi magno acutoque ingenio fuerit præditus, adeo tamen extraneas contrariasque de Sibyllis protulit sententias, ut se ipsæ reciproce impugnentur, et omnem ratiocinii vim auctoritatemque destruant. Comparando igitur opiniones, quas Cicero de Sibyllis edidit in opere suo: « *De divinatione,* » clare nostræ sententiæ veritas atque rectitudo eruuntur et demonstranture. Ita libro 1, cap. 18 : « *De divinatione*, » legimus « *Iis igitur assentiunt, qui duo genera divinationum esse disserunt : unum quod particeps esset artis, alterum quod arte caret. Est enim ars in iis, qui novas res conjectura persequuntur, veteri observatione didicerunt. Carent autem arte ii, qui non ratione aut conjectura, observatis ac notatis signis, sed concitatione quadam animi, aut soluto liberoque motu, futura præsentiunt (quod et somniantibus sæpe contigit et non nunquam vaticinantibus per furorem) ut Baiis Boëtius, ut Epimenides Cres, ut Sibylla Erythræa.* »

Libro 2 *De Divinatione*. N. 110, 111 et 112, asserit sequentia : « *Quod vero habet auctoritatis furor iste, quem divinum vocatis, ut quæ sapiens non videat, ea videat insanus et is, qui humanos sensus amiserit, divinos assecutus sit. Sibyllæ versus observamus, quos*

illa furens fudisse dicitur; quorum interpres (Cotta) nuper falsa quadam hominum fama, dicturus in Senatu putabatur, eum quem revera regem habebamus, appellandum quoque esse regem, si salvi esse vellemus. Hoc si est in libris, in quem hominem et in quod tempus est? Callide enim, qui illa composuit, perfecit, ut quodcumque accidisset, prædictum videretur, hominum et temporum definitione sublata. Adhibuit etiam latebram obscuritatis, ut iidem versus alias in aliam rem posse accomodari, viderentur. — Non esse carmen illud furentis cum ipsum Poëma declarat, est enim magis artis et diligentiæ, quam incitationis et motus. Tum vero ea, quæ ἀκροστιχὶς *dicitur,* (vide N. 58), *cum deinceps ex primis versus litteris aliquid connectitur, id certe magis est attenti animi, quam furentis. —Atque in Sibyllinis, ex primo versu cujusque sententiæ, primis litteris illius sententiæ carmen omne prætexitur. Hoc scriptoris est, non furentis, adhibentis diligentiam, non insani. Quamobrem Sibyllam quidem sepositam, et conditam habeamus, ut id, quod proditum est a majoribus in jussu Senatus ne legantur quidem libri, valeantque ad deponendas potius, quam ad suscipiendas religiones. Cum Antistibus agamus, ut quidvis potius ex illis libris, quam Regem proferant : quem Romæ post hæc, nec Dii, nec homines esse patientur.* » Scimus quidem Ciceronem strenuum impugnatorem conspirationis Catilinæ, et intrepidum defensorem regiminis republicani, ægro animo Sibyllas, Regem

venturum prædicantes, tulisse; *ast modus*, quo hic Rex venturus, per suam vitam, passionem, mortem ac doctrinam salutarem annuntiabatur, *sensus tam simplex et literalis acrostichidis*, de quo tam late disseruerit Cicero, clare demonstrant : eum vaticinium Sibyllinum non intellexisse, imo ipsius sensum detorsisse, et explicant diversitatis atque inconstantiæ opinionum veram causam apud eumdem auctorem; quod in genere exposuimus N. 85.

89. — Plato et Plutarchus doctrina et sublimitate Sibyllarum stupefacti, carmina ipsarum libros divinæ originis esse, ex animo confitentur. Ita Plutarchus cum admiratione exclamat : « *Decantati carminibus Sibyllarum, quæ sine divinitate prædici non poterunt.* » Plato autem philosophus et viator, observans eventus a Sibyllis annuntiatos ipsarum prædictionibus stricte respondere, in Memone ait : « *Merito igitur divinos vocamus votes, de quibus loquimur* (de Sibyllis) *non mediocriter afflatos numine, a quo rapiuntur, quando magno successu dicunt faciuntque res maximas, quas nequaquam intelligunt. Hæc enim scripta sua non corrigebat,* (*Sibylla Cumæa*) *nec expolibat, sicut poëtæ faciunt, quando metrorum a se rationem exigunt : sed tantisper, dum numine afflaretur, vatem agebat, quo mox cessante, nihil eorum carminum meminerat et hæc est causa, cur non servata sunt omnia. Id ipse Cumis audivi ab his, qui me ducebant videndi gratia locos, ubi vaticinabatur, ostendentibus et quamdam*

urnam lenticularem alienam, in qua reliquias ejus, ajebant, conditas. Inter cætera referebant, se accepisse a majoribus eos, qui petebant oracula, homines rudi sæculo natos, sæpe depravasse metra; ideo in nonnullis desiderari diligentiam, quod vates ad se reversa immemor fieret eorum, quæ cecinerat : notorii vero in excribendis laberentur per imperitiam.

90. — Testimonium hoc Platonis inserviit S. Justino Martyro ad conficiendam Orationem Paræneticam ad Gentes, (cujus initium jam allegatum fuit N. 43) quæ pro nobis in præsenti materia criticæ locum tenet; quare eam in extenso reproducimus. » Videtur autem mihi, ait S. Justinus N. 61, Platonem hujus (scilicet Cumææ Sybillæ) oracula legisse eosque, qui oracula ederent, divinis afficere honoribus. Videbat enim ea, quæ olim ab ea prædicta erant, re compleri : ob eamque causam cum admiratione in Menone eos, qui oracula edebant, laudens, scripsit his verbis : Recte igitur divinos appellabimus et eos, quos oracula edere modo dicebamus, et vates et omnes poëtas : nec minus quam illos, qui rem administrant et divinos et permotos esse dicemus, cum sint afflati occupatique a Deo, quoniam de multis magnisque rebus disserentes, in eis verum assequebantur, nec quicquam eorum, quæ dicunt, scientia comprehensum habebant, quæ cum diceret, plane aperteque oracula Sibyllæ intelligebat. Hæc enim non ut poëtæ, sic postea quam versus scripserat, corrigendi potestatem habuit, et perpoliendi propter versuum sublimita-

tem et accurationem, sed ipso afflatus permotionisque, tempore vaticinationes explebat : cum autem afflatus desinabat una et jam eorum, quæ dicta erant, eam deficiebat memoria. Hæc igitur causa est, cur non in omnibus Sibyllæ carminibus modi pedesque serventur. Ipsi enim in oppido illo, cum essemus, comperimus ex iis, qui duces sunt viarum, qui etiam nobis loca, in quibus oracula edebat, commonstrarunt, et vas quoddam ex ære factum, in quo ossa ejus asservari dicebant. Narrabunt autem præter omnia, quæ exponebant, hoc etiam quod a majoribus accepissent, eos, qui oracula exciperent, quod fere ignari essent, multis in locis a modorum subtilitate veritateque aberrasse; hancque causam esse, dicebant, cur modis versus carerent, quod et ea, quæ oracula edebat, cum occupatio afflatusque eam defecisset, eorum quæ dicta essent, non meminisset, et ii, qui dicta exciperent, propter ignorantiam et imperitiam ex certa modorum ratione excidissent. Perspicuum est igitur, his causis ductum Platonem cum Sibyllæ oraculorum rationem haberet, hæc de iis, qui oracula ederent, dixisse: cum verum assequantur in multis magnisque prædicendis rebus, quarum non habebant scientiam. Verum tamen quoniam non in poëtarum modis et versibus veræ religionis res positæ sunt, nec in ea institutione, quæ apud vos probatur; relicta repudiataque in posterum versuum verborumque subtilitate, iis quæ ab illa dicta sunt sine contentione attendentes; cognoscite quam multorum magnorumque bo-

norum vobis causam datura sit, quæ conservatoris nostri Jesu Christi adventum aperte planeque prædicat, qui cum Dei verbum sit inseparabili potestate, assumpto homine, qui ad Dei imaginem similitudinemque fictus est, veterum majorum nostrorum religionem quasi postliminio restituit; quam cum ii homines, qui eis orti sunt, reliquissent, invidi dæmonis doctrina ad eorum, qui dii non sunt, superstitionem converterunt.

Quapropter Gentes, si minime anteponendam vestræ ipsorum saluti falsam', de iis qui non sunt dii, sententiam ducitis, valeat apud vos ad persuadendum faciendamque fidem antiquissimæ Sibyllæ auctoritas, cujus libri in orbe terrarum extant, quæ et divino numine afflata oraculis vos docet, eos non esse deos, qui dicuntur, et Jesu Christi conservatoris nostri futurum adventum, omniaque quæ ipse facturus est, aperte planeque prædixit. Erit enim harum rerum scientia necessaria quædam, et prima vobis vaticinationis sanctorum vivorum exercitio. Quod si quis est, qui existimet, se ab antiquissimis philosophis, qui clarissimi apud ipsos habiti sunt, rationem de Deo didicisse, is Æmonem et Hermetem audiat : Æmonem quidem, qui in suis libris omnino obstrusum et occultum Deum nominat, Hermetem autem plane aperteque hæc loquentem, Deum quidem intelligere difficile est, ut autem enuncietur et exprimetur ab eo, qui etiam eum intelligere non possit, fieri non potest. Quare omni ex parte par est, intelligi fieri non posse, ut ullo alio modo Deus, vel veraque re-

ligio, nisi ex prophetis, qui divino instinctu et afflatu vos docent, intelligatis.

91. — Aristoteles philosophus, naturæque investigator suis *Problematibus phisico-moralibus*, sectione XXX, probatione 13ª, afflatum divinum Sibyllarum, indeque natam vaticinandi potestatem dispositione ac systemate bilis atræ explicare conatur, scribendo : « *Humoris id genus, quem atram bilem vocamus,* (1) *protinus sese constantiæ naturæque universi corporis intermiscet confunditque. Temperamentum enim omne calidi et frigidi est: quippe cum ex his duobus natura et servetur et constet. Quamobrem atra etiam bilis et callidissima et frigidissima reddi potest....... In quibus multa et frigida bilis est atra, hi stolidi sunt et ignavi; in quibus permulta et calida, ii perciti et ingeniosi, amasii, propensi ad omnem excandescentiam et cupiditatem, nonnulli etiam loquaciores. Multi etiam propterea quod ille calor sedi mentis in vicino est, morbis versaniæ implicantur, aut instinctu lymphatico infervescunt, ex quo Sibyllæ efficiuntur et Bacchæ et omnes, qui divino spiraculo instigari creduntur, cum, scilicet, id non morbo sed naturali intemperie accidit.* »

92. — Inter tot cujuscumque generis auctores, ob-

(1) Antiqui naturalistæ ac medici admittebant existentiam alicujus humoris in corpore humano, quem vocabant *bilem artam*, vel *humorem atrabilem* — quem tamen hodierni respuunt.

struere aures nequimus historico Crispo Salustio, qui in *Portii Lathronis declamatione contra Lucium Sergium Catilinam* talem de Sibyllis instituit sermonem, qui antiquorum erga ipsas admirationem vaticinandi causa comprobet : « *Ego vero Sibyllam, sine dubio sapientissimam mulierem fuisse, judico, ipsamque idoneam Diis immortalibus, cui singularem quandam vim divinandi concederent : verum illam deliram penitus ac prorsus cæcam fuisse, affirmarem, si quam spem dignitatis in hac crudelissima peste* (conspiratione Catilina) *reposuisset.*

93. — Præter quod de diversitate opinionum auctorum ethnicorum circa Sibyllas N. 85 monuimus, clarius, exactiusque explicant hoc nobis Patres Ecclesiæ, et in sensibus proferendis discordiæ aperte demonstrant originem, — quæ certo fuit Christus mundi Salvator, nemo nostrum dubitat. Inter hos Sanctos Scriptores Doctoresque primum locum tenet Justinus Martyr. in allegata jam *Oratione parænetica ad Gentes* circa finem, ubi Sibyllas anteponit philosophis aliisque doctis Gentilitatis, ubi eas veluti medium ac transitum inter ethnicismum et Christianismum constituit, uno verbo, ubi eas extollit propter ipsarum de Christo venturo prædictiones (vide N. 90).

94. — Lactantius de vera Sapientia cap. 15 ait hac in materia : *Non dubito, quin illa carmina prioribus temporibus pro deliramento habita sint, cum ea nemo intelligeret. Demonstrabant enim monstruosa quædam*

miracula, quorum nec ratio, nec tempus, nec actor designabatur.

95. — Loco hoc ponendum est testimonium S. Augustini tam ad Sibyllas sustentandas, quam ad removendas difficultates, quas illud movere videtur. Libro enim primo *Expositionis Epistolæ* 1æ *ad Romanos* S. Augustinus explicans verba : « *Segregatus enim in Evangelium Domini, quod ante promiserat per prophetas suos;* » ait : « *Fuerunt et prophetæ non ipsius, in quibus etiam aliqua inveniuntur, quæ de Christo audita cecinerunt, sicut etiam Sibylla dicitur. Quod non facile crederem, nisi quod poëtarum quidem in Romana lingua nobilissimus, antequam diceret ea de innovatione sæculi, quæ in Domini nostri Jesu Christi regnum satis concinere et convenire videantur, proposuit verbum dicens :*

« *Ultima Cumæi venit jam carminis ætas.* »

» *Cumæum autem carmen Sibyllinum esse, nemo dubitaverit. Sciens ergo Apostolus ea in libris Gentium inveniri testimonia veritatis, non solum ait per prophetas suos, ne quis pseudo-prophetis per quasdam veritatis confesssiones in aliquam impietatem seduceretur, sed addit etiam in Scripturis Sanctis, volens utique ostendere, libros Gentium superstitiosæ idololatriæ plenissimos non ideo sanctos haberi oportere, quia in eis aliquid, quod ad Christum pertinet, invenitur.* » Perlegendo testimonium istud, videretur S.

Augustinum prorsus Sibyllarum adversarium fuisse, eas flacci imo superstitionis ethnicæ propagatores habuisse. Ast sciendum est causam, propter quam S. Augustinus tanta cum præcisione loco hoc scripserit, fuisse refutationem errorum Fausti aliorumque Manichæorum (liber 13, contra Faustum) hujus sæculi, qui ex ethnicis conversi ad Christum vociferabantur, respuendos veluti inutiles et superfluos esse Sacros Codices Veteris Testamenti, nam Gentilibus nec ad conversionem obtinendam, nec dein ad ipsam conservandam libri isti inserviunt (vide N. 135). — Dein observandum est, testimonium superius allatum minimè modo speciali de Sibyllis loqui, sed in genere de omnibus vatibus ethnicis disserere, qui non semper sanam doctrinam suis adeptis præstabant, ut Apollo, Hermes Trimegistus, Orpheus et tota augurum pythonissarumque turba. Denique et hoc adnotare juvat : ad testimonium S[ti] Augustini recte clareque intelligendum, comparandum cum aliis locis, quos Sibyllis iste Doctor consecraverit, esse, præcipue cum libro 18 de Civitate Dei, ubi capita : 23, 46 et 47, laudibus Sibyllas efferunt, easque defendunt (vide N. 60, 101 et 106).

96. — Denique ex historia, quam recensuimus (vide N. 6 ad 16), nec minus ex providentiali custodia ac conservatione librorum Sibyllinorum usque ad tempus, quo religiò Christi victoriam in mundo obtinuerit, manifeste probatur : Sibyllas multa vaticinia edidisse, ideoque apud Gentes auctoritatem atque venerationem

obtinuisse. Et reapse prædicarunt non solum Christum, sed etiam eventus futuros, qui maximum populis interesse atque negotium præbebant. Hoc erat necessarium et quasi indispensabile, quia secus Gentes, perlectis carminibus Sibyllinis, quæ de Deo invisibili ac prorsus spirituali tractabant, quæ aliquem Regem Salvatorem promittebant, quæ denique de istius Regis nativitate, vita, miraculis, passione, morte, resurrectione, altero in extremo judicio adventu, de ejus singulari omnino doctrina miranda et fere incredibilia narrabant, statim ea veluti deliramenta et fantasticà somnia flammis dedicassent, vel omnino de ipsis conservandis non curassent, vel denique ea ad normam canonemque religionis ethnicæ corrigenda procurassent. Sed Providentia divina hæc de Christo pro Gentibus mirabilia vaticinia cum rebus eos interesantibus promiscendo atque uniendo efficit, ut codices Sibyllini diligentissime et religiosa cum veneratione conservarentur et usque ad nos pervenirent. Hanc divinæ Providentiæ œconomiam pulcherrime depingit Auctor *Apparatus ad Annales Baronii* N. 21, scribens : « *Admiramur magnopere consilium Dei, qui sic Gentibus, quæ Deum ignorarent, prospexit, ut non Sibyllina tantum carmina et in eorum manus venire, sed eadem conflagrata diligenti investigatione ac publica alibi legatione perquiri; conquisita examinari ac denique examinata spuriis, quæ eorum judicio sunt inventa, rejectis, probari, eademque probata custodiri voluerit ;*

hæcque omnia ante Christi adventum : tum ut quæ adversus eos Christiani adducere possent, in testimonium haberent; tum etiam ut ea citantes, et ex libris ipsorum testimonium petentes, nulla imposturæ suspicione moneri jure possent. »

97. — Ex his omnibus, quæ hucusque recensuimus, clare patet : 1) ex testimonio ethnicorum, Sibyllas res extraordinarias et prorsus fide captuque ipsorum difficillimas annuntiasse. 2) Ex testimonio Patrum, hoc extraordinarios mirabilesque eventus a Sibyllis prædictos Christum mundi Salvatorem respicere. 3) Tam ex facto vaticinii, quod pluries Sibyllæ perfeceriit, quam ex doctrina catholica de natura vaticinii recte aperteque apud hos vates ethnicos possibilitas ex inspiratione divina vaticinandi eruitur; ideoque demonstrata probataque est propositio, quæ N. 61 enuntiata erat.

§ II. — *Vaticinia Sibyllarum de Christo.*

98. — Jam demonstravimus Sibyllas vaticinari potuisse ac reapse, coëvis auctoribus testantibus, vaticinatas fuisse, porro suas prædictiones carminibus inseruisse, quorum codices ad sæculum IV^m^ totaliter integros permanensisse, dein autem partialiter tantum genuinos ac incorruptos conservatos esse, in quantum, scilicet, versus Sibyllini ab auctoribus illius temporis allegati fuerant. Ex ordine nunc venit investigare ac examinare, an reapse *et quid* Sibyllæ de Christo præ-

dixerint? Quare hanc propositionem probandam sibi proposuimus.

99. — *Propositio* : SIBYLLÆ MULTA DE CHRISTO PRÆDIXERUNT, IDEOQUE EJUS DIVINÆ RELIGIONIS, SEU CHRISTIANISMI, TESTIMONIUM CONSTITUUNT.

Ad demonstrandam probandamque hanc thesim sufficit reproducere omnes versus Sibyllinos, qui cum re nostra nexum habeant, et qui ab auctoribus ante sæculum V^m æræ vulgaris allegati fuerint. Ad scopum nostrum certius attingendum, ut versus Sibyllini cum relativis textibus prophetarum aliorumque locorum Sacræ Scripturæ compararentur, magis oportunum fore, ducimus. — Ne autem ob minis longam seriem testimonia confundantur, et altera ex parte, ut facilius promptiusque eorum nexus et ordo apprehendantur, argumenta in quatuor classes distribuimus, — quæ certum punctum, vel statum vitæ Jesu Christi respiciant.

A. SIBYLLÆ ADVENTUM JESU CHRISTI PRÆDIXERUNT.

100. — Hoc probatur 1) *ex communi persuasione* Ethnicorum de Rege venturo a Sibyllis annuntiato. Ita teste L. An. Floro (*Hist. Romana*, lib. 4, cap. 1) : Lentulus ex carminibus Sibyllinis regem prædicantibus admiscere sibi regnum conatus, Catilinæ se junxit. Ex eodem prætextu (teste Cicerone, Orat. 2, c. Cat.). M. Antonius in Lupercalibus (1) Cæsari regiam coronam im-

(1) *Lupercalia*. Celebritas erat Romæ mense Februario in

posuit. Ita Maro carmen Sibyllinum (Æcloga 4) adscripsit Salonio, sua origine ac educatione spectatissimo filio Asinii Pollionis, qui tecte Josepho Florio (Antiquit., lib. 15, cap. 12) Herodis Regis Judæorum amicissimus fuit, ipsumque, dum Romæ commorabatur, domo sua hospitaliter excepit. Multi rerum ignari scriptores ethinici, vaticinium de Rege ex Judæa venturo, Vespasiano Augusto esse tribuendum, putarunt; quod ispe Judæos rebellantes domuisset, atque ex Judæa in Urbem, triumphans una cum Tito, venisset. Ita Josep. Flovius *de bello Judacoi*, lib. 7, cap. 12, ità Tacitus *in Annalibus*, lib. 2, narrat: « Pluribus persuasio erat, antiquis » sacerdotum litteris contineri, eo ipso tempore fore, » ut valesceret Oriens, profectique Judæa rerum potirentur; quæ ambages Vespasianum ac Titum prædixerant. » Fere idem asserit Suetonius *in Vespasianum*, cap. 4: « Percrebuerat Oriente tota vetus et constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore Judæa profecti » rerum potirentur. Id de Imperatore Romano, quantum » eventu postea patuit, prædictum Judæi ad se trahentes, rebellarunt. » Similiter prodigium, quod locum

honorem Panos et Luperci, qui hæc sacra faciebant. Servius explicans verba Virgilii 8 Æneidos: « *Hic exultantes Salios, nudosque Lupercos* » ait: « Quum in honorem Panos Lupercaliorum solemnitas celebraretur, pecora Romanorum subito a latronibus capta sunt. Illi projectis vestibus persecuti sunt latrones; quibus oppressis et receptis animalibus, propter rem a nudis prospere gestam, consuetudo permansit, ut nudi Lupercalia celebrarent. »

habuit anno ab Urbe condita 690, ante Chr. 64, descriptum autem a Dionysio Halicarnasso *Histor. Rom.*, lib. 37, his verbis : « In Capitolio multæ statuæ de cœlo tac- » tæ liquefactæ fluxerunt, dejectaque erant tum alia » simulacra, tum Jovis Columna insistens, præterea » imago lupæ cum Remo ac Romulo consecrata cecide- » rat; litteræ etiam in columnis, in quibus leges scribe- » bantur, confusæ atque obliteræ erant. » attributum fuit Cæsari Augusto, anno sequenti (juxta Suetonium in Oct. Aug., cap. 5) nato, M. Antonio et Cicerone Coss. Idem Suetonius cap, 94, in Octov. Augustum de prodigio a Dyonisio relato scripsit. « Auctor est Julius Marathus, » ante paucos menses, quam nasceretur Octavius, prodi- » gium Romæ factum publice, quo denunciabatur Re- » gem populo Romano Naturam parturire : Senatum » exterritum censuisse, nequis illo anno genitus edu- » caretur. » Facta igitur nuper a nobis relata, clare demonstrant, quam communem fuisse de Rege venturo, scilicet, de Christo apud ethnicos traditionem, quam Sibyllæ suis carminibus ipsorum menti inculcarunt, promagarunt, atque confirmarunt.

101. — Prædictiones Sibyllarum de Messiæ adventu comprobantur loco secundo testimoniis auctorum; quorum prius adducemus initium Eclogæ IVæ Virgilii, quæ a versu quarto ita canit :

« Ultima Cumæi venit jam carminis ætas :
Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo.

Jam redit et Virgo, redeunt saturnia regna :
Jam novo progenies cœlo demittitur alto.
Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo,
Casta fave Lucina : Tuus jam regnat Apollo.
Teque, adeo decus hoc ævi, se consule inibit.
Pollio, si incipient magni procedere menses.
Te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,
Irrita, perpetua solvent formidine terras. »

Quidem Virgilius cantum suum dedicat Solonio filio Polionis, ast cum S. Augustino, ep. 155 ad Martianum dicemus : « *Omnino non est cui alteri, præter Dominum Christum dicat genus humanum :* « TE DUCE, SI QUA MANENT SCELERIS VESTIGIA NOSTRI, IRRITA, PERPETUA SOLVENT FORMIDINE TERRAS. » *Quod ex Cumæo, idest, Sibyllino carmine, se fassus est transtulisse Virgilium, quoniam fortassis etiam illa Vates aliquid de unico Salvatore in spiritu audierat, quod necesse habuit confiteri.* » Idem dissertius confirmat iste S. Doctor, cap. 10, lib. 18 *de Civitate Dei ajens :* « *De quo* (Christo) *etiam poëta nobilissimus, poëtice quidem, quia in alterius adumbrata persona; veraciter tamen, si ad ipsum referas, dixit : Te duce*, etc. (ut supra). *Ea quippe dixit, quæ etiam multum proficientium in virtute justitiæ possunt, propter hujus vitæ infirmitatem, et si non scelera, scelerum tamen manere vestigia, quæ non nisi ab illo Salvatore sanantur, de quo iste versus expressus est. Nam hoc utique non a seipso dixisse, Vir-*

gilius in Eclogæ ipsius quarto ferme versu indicat, uti ait: ULTIMA CUMÆI VENIT JAM CARMINIS ÆTAS. *Unde hoc a Cumæa Sibylla dictum esse incunctanter apparet.* »

102. — Prædicta Sibyllina de adventu Christi probant jam relata testimonia Ciceronis, lib. 2, de *Divinatione* (N. 88), S. Justini Martyris, *Oratio parænetica ad Gentes* (N. 90) et Ven. Bedæ (N. 49).

103. — Lactantius suarum Institutionum Divinarum, lib. 4, cap. 6 asserit, Erythræam Sibyllam vaticinium de Christo incepisse his verbis : « *Omnium nutritorem creatoremque, qui dulcem spiritum omnibus apposuit, ac principem omnium deorum fecit,* » atque illudterminasse : « *Eum dedit Deus fidelibus viris honorare.* » De eo similiter alia Sibylla docuit : « *Ipsum tuum cognosce Deum, qui Dei Filius est.* » Idem Lactantius, cap. 13, ejusdem 2 libri, Instit. Divin., notat, Sibyllam nativitatem Christi verbis Isaïæ prædicare, cantans : « *Florescet autem flos purus.* » (Isa., cap. II, v. 1 : *Et egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendit.*)

104. — Sed omnium, famosissimum est vaticinium acrostichidis, quam prius retulit Constantinus Magnus in Synodo Nicœna juxta Ciceronis versionem latinam, dein S. Augustinus ex originali textu in latinum sermonem transtulit. Versus hujus acrostichidis quidem extremum judicium annuntiant et depingunt, ast primæ litteræ versuum istam constituunt phrasem : « *Jesus Christus Dei Filius, Salvator mundi;* quæ magis attentionem eth-

nicorum excitabat, curiositatemque movebat, quam ipse totius carminis sensus. Quare et nos ea ratione ducti, potius eo loco acrostichidem producere, quam in rubrica extremi judicii eam collocare, oportunius fore censemus.

105. — Eusebius Cæsaræensis in Historria Ecclesiastica capite 18, cui titulus : « *De Sibylla Erythræa, quæ in fatidicorum carminum suorum acrostichide, hoc est : primis cujusque carminis elementis, Christi passionem exprimit, est autem acrostichis : Jesus Christus, Dei Filius, Servator mundi* » refert orationem, quam ille Imperator ad Patres in Synodo Nicæna congregatos pronuntiavit : « Occurrit etiam in hoc loco ad commemorandum testimonium quoddam de Christi divinitate, ab illis, qui a fide nostra alieni sunt, petitum. Non illi qui ei tam contumeliose obtrectant, si vel suis ipsorum testimoniis fidem tribuere voluerint, ex iisdem satis potuerunt intelligere, illum et Deum et Dei Filium esse. Sibylla enim Erythræa, quæ se sexta post diluvium ætate fuisse affirmat, quæque sacerdos erat, Appolinis corona similiter cum Deo illo, quem colebat, redimita: quæ etiam tripodem serpentis amplexu circumplicatum observans, iis qui quicquam ab ipsa sciscitabantur, respondit, se parentum inscita illi cultui dicatam fuisse, quem cultum nihil in se complecti, quod ad honestatem faceret, sed hominum animos pudore spoliare, non aliter atque historici de Daphne prodiderunt : hæc inquam, Sibylla quodam tempore intra adyta illa, in qui-

bus tam absurda et plane inepta superstitio usurpari solet, conclusa, et divino quodam instinctu afflata, versibus ea, quæ erant de Deo futura prædixit, notisque et ordine primarum literarum (quæ ἀκροςιχὶς dicitur), historiam de Jesu adventu declaravit. Ἀκροςιχὶς hæc quidem est JESUS CHRISTUS DEI FILIUS SERVATOR CRUX. Ejus autem carmina infra scripsimus :

Judicis adventu magni sudore videbis
Emanere solum? Tunc rex æternus ab arce
Sydera præsens carni jus dicet et orbi,
Ut spectare Deum pia gens, atque impia possit,
Sublimem carne humana sanctaque caterva
Cinctum, supremoque homines, qui judicet ævo
Hæc erit omnis humus vepres et tristis arena,
Rescindent simulacra homines aurumque repellent,
Incendentque avide terram, mare, sidera, flammaæ.
Stabunt functorum sub apertum corpora lumen,
Tetraque mens, et sancta illa splendore patebit.
Voce latens facinus, quod gessit quisque loquetur,
Subdolataque humani pandentur pectoris antra.
Dira mali facies, pavor undique et undique luctus :
Et jubar involvent solis, stellasque tenebræ.
Jam vaga labetur Phœbe, ruet arduus æther.
Ferre caput valles, disjectis alpibus, imas
Jusserit : humanum culmen fastusque jacebit.
Lataque planities montes æquabit, et altum
Intactum rate stabit, et urent fulmina terras,
Una deficiet, flagrans cum fontibus amnis.
Stridula de cœlo tuba fundet lugubre murmur,

Supræmumque orbi canet exitiabite carmen,
Et subito Stygium chaos apparebit hiatu,
Regnantumque Dei celebrabit turba tribunal.
Undeque sulphurea fluet alto ex æthere flamma,
Afflabit mortale genus insigne corruscans,
Trabs sancta in rectis animis optabile robur
Omnibus una piis vitæ melioris origo :
Rursus vesani dolor atque offensio mundi,
Collustrans undis duodeno in fonte fideles.
Regnabit late pascentis ferrea virga
Unus et æternus Deus hic Servator et idem,
Xhristus pro nobis passus, quem carmina signant.

« Atque ista in virginis animum divinitus plane illatebatur ad prædicandum. Eam igitur ego beatam puto, quam Servator vatem ad divinandum de sua in nos providentia delegit. » Dein caput sequens ita incipit :

« Quod vaticinatio de Christo a nullo illorum, qui in ecclesiasticorum numero censentur, conficta sit : sed Erythrææ Sibyllæ revera existat, cujus libros Cicero ante adventum Christi, in Romanam linguam convertit : cujus etiam Virgilius meminit et partus virginei : sub ænigmate arcanisque verbis, propter principum metum, mysterium celebrans. »

106. — Eamdem acrostichidem cum observationibus, quas nobis S. Augustinus, cap. 23, libri 18, de *Civitate Dei* transmisit, reproducere oportunum esse, censemus; nam eo modo lector clariorem rectioremque ideam de Sibyllis, ipsarumque vaticiniis efformare valebit. Huic

igitur capiti dato titulo : « *De Sibylla Erythæa, quæ inter alias Sibyllas cognoscitur de Christo evidentia multa cecinesse.* » S. Augustinus ita prosequitur suum sermonem. Eodem tempore (scilicet, Ezæchia apud Judæos, et Oscania apud Samaritanos regnantibus) nonnulli Sibyllam Erythræam vaticinatam, ferunt. Sibyllas autem Varro prodidit plures fuisse, non unam. Hæc sane Erythræa Sibylla, quædam de Christo manifesta conscripsit; quæ etiam nos in Latina lingua versibus male Latinis, et non stantibus legimus, per nescio cujus interpretis imperitiam, sicut post cognovimus. Nam vir clarissimus Flaccianus, qui etiam proconsul fuit, homo facillimæ fecundiæ, multæque doctrinæ, cum de Christo colloquemur, Græcum nobis codicem protulit, carmina esse, dicens, Sibyllæ Erythrææ, ubi ostendit quodam loco in capitibus versuum ordinem litterarum ita se habentem, ut hæc in eo verba legerentur Ιησοῦς Χριστός Θεοῦ ὑἱός σωτήρ, quod est latine : Jesus Christus Dei Filius Salvator. Hi autem versus quorum primæ litteræ istum sensum, quem diximus, reddunt, sicut eos quidam Latinis extantibus versibus est interpretatus, hoc continent.

Ι Judicii signo tellus sudore madescet.
Η E cœlo Rex adveniet per secla futurus :
Σ Scilicet in carne præsens ut judicet orbem.
Ο Unde Deum cernent incredulus atque fidelis
Υ Celsum cum sanctis, ævi jam termino in ipso.
Σ Sic animæ cum carne aderunt, quas judicet ipse,

Cum jacet incultus densis in verpribus orbis,
Rejicient simulacra viri, cunctam quoque gazam :
Exuret terras ignis, pontumque polumque
Inquirens, tetri portas effringet Averni,
Sanctorum sed enim cunctæ lux libera carni.
Tradetur, fontes æternum flamma cremabit.
Ocultas actus retegens, tunc quisque loquetur
Secreta, atque Deus reserabit pectora luci.
Tunc erit et luctus, stridebunt dentibus omnes.
Eripitur solis jubar, et chorus interit astris,
Volvetur (1) cœlum, lunaris splendor obibit.
Dejiciet colles, valles extollet ab imo.
Non erit in rebus hominum sublime, vel altum.
Jam æquantur campis montes, et cærula ponti,
Omnia cessabunt, tellus confracta peribit.
Sic pariter fontes torrentur, fluminaque igni,
Sed tuba hinc sonitum tristem dimittet ab alto
Orbe, gemens facinus miserum variosque labores :
Tartareumque chaos monstrabit terra dehiscens :
Et coram hic Domino reges sistentur ad unum.
Recidet (2) e cœlis ignisque et sulphuris amnis (3).

---

(1) Loco « *volvetur* » accipiendum est in sensu « *solvetur*. »

(2) *Recidet* positum est in sensu, « *decidet* » ad servandam acrostichidem.

(3) Jam (N. 20) monuimus, de differentia præsertim in stylo et modo extremum judicium depingendi, quæ acrostichidem a Constantino et S. Augustino recensitam inter et acrostichidem ex octo libris Sibyllarum desumptam intercedit. Quare omnino

« In his Latinis versibus e Græco utcumque translatis, ibi non potuit ille sensus occurrere, qui sit cum

---

præstat ut loco hoc textus modernus v. g. editionis Coloniensis, an. 1618, vol. I, pag. 208, reproducatur :

« Judicii signum tellus sudoribus edet.
Eque polo veniet rex tempus in omne futurus
Scilicet ut carnem omnem, ut totum judicet orbem ;
Unde Deum fidi diffidentesque videbunt,
Summum cum sanctis in secli fine sedentem ,
Corporeorum animas hominum quo judicet, olim
Horrebit totus cum densis vepribus orbis.
Rejicient et opes homines simulacraque cuncta,
Exuretque ignis terras, cœlumque, solumque,
Incendetque fores Augusti carceris Orci;
Sanctorumque omnis caro libera reddita, lucem
Tunc repetet; semper cruciabit flamma scelestos
Utque quis occulte peccaverit, omnia dicet,
Sub lucemque Deus reserabit pectora clausa.
Dentes stridebunt, crebrescent undique luctus.
Et lux deficiet solemque, intentiaque astra
Involvet cœlos et lunæ splendor obibit
Fossas attolet, juga deprimet ardua montis.
Impedietque nihil mortales amplius altum,
Longa carina fretum non scindet : montibus arva
Ipsa æquabuntur, nam fulmine torrida tellus,
Unaque et sicci fontes et flumina hiabunt.
Sidereisque sono tristi tuba clanget ab oris,
Stultorum facinus mœrens[1], mundique dolores;
Et chaos ostendet, et tartara terra dehiscens;
Regesque ad solium sistentur Numinis omnes;
Undaque de cœlo fluet ignea, sulphure mixto,
Atque omnes homines signum præsigne notabit,
Tempore eo lignum, cornu peramabile fidis,
Oppositus mundo casus, sed vita piorum,
Respergendo lavans duodeno fonte vocatos,
Compescetque pedo ferrata cuspide gentes.
Rex tibi nunc nostris descriptus in ordine summo
Versibus, hic noster Deus est, nostræque salutis
Conditor æternus, perpessus nomine nostro.
Sincera hunc Moses expressit brachia tendens, etc.

litteræ, quæ sunt in eorum capitibus, connectuntur, ubi Υ littera in Græco posita est, quia non potuerunt verba Latina inveniri, quæ ab eadem littera inciperent et sententiæ convenirent. Hi autem sunt versus tres : quintus et octavus decimus et nonnus-decimus. Denique si litteras, quæ sunt in capitibus omnium versuum connectentes, harum trium, quæ scriptæ sunt, non legamus, sed pro eis Υ litteram tanquam in eisdem locis ipsa sit posita, recordemur, exprimitur in quinque verbis : *Jesus Christus Dei Filius Salvator*, sed cum Græce hoc dicitur non Latine. Et sunt versus viginti et septem, qui numerus quadratum ternarium solidum reddit. Tria enim ter ducta fiunt novem. Et ipsa novem si ter ducantur, ut ex lato in altum figura consurgat, ad vinginti septem perveniunt. Horum autem Græcorum quinque verborum; quæ sunt Ιησους Χριστός Θεοῦ ὑιὸς σωτὴρ, quod est Latine, *Jesus Christus Dei Filius Salvator*, si primas litteras jungas erit : ἰχθύς, id est, *piscis*, in quo nomine mystice intelligitur Christus, eo quod in hujus mortalitatis abysso velut in aquarum profunditate vivus, hoc est sine peccato esse potuerit. Hæc autem Sibylla Erythræa, sive, ut quidam magis credunt, Cumæa, ita nihil habet in toto carmine suo, cujus exigua ista particula est, quod ad deorum falsorum sive factorum cultum pertineat, quinimo ita etiam contra eos, et contra cultores eorum loquuntur, ut in eorum numero deputanda videatur, qui pertinent ad Civitatem Dei. »

107. — Denique ultimo loco non officit ponere ea

testimonia, quæ statuæ Sibyllarum Domum Lauretanam ornantes, conservant tabulis lapideis incisa.

Ita Sibylla Libica canit :

« Ecce dies veniet, quo æternus tempore Princeps
Irradians sata læta, viris sua crimina tollet.
Æquus erit cunctis ; gremio Rex membra reclinat
Reginæ mundi, sanctus per sæcula vivus. »

Quod vaticicinium respondet prophetiæ Ezechielis, cap. 24, ver. 25 : « *Suscitabo super eos pastorem unum.* »

Sibylla Delphica suis carminibus hæc inseruit :

..... « *Virginea conceptus ab alvo*
Prodibit sine contractu maris.....

Sibylla Cumæa ait :

Tunc Deus e magno regem dimittet Olympo.
Militiæ æternæ regem sacra Virgo cibabit.
Lacte suo.....

Apud Persicam Sibyllam legimus :

Virgine matre satus.....
Ille Deus casta nascetur Virgine magnus.

Sibylla Samia :

« *Nunc poterunt clarum virorum tangere Regem,*
Humano quem Virgo sinu inviolata fovebit. »

Sibylla Phrygia fere idem annuntiat :

« *Virginis in corpus voluit dimittere cœlo*
Ipse Deus prolem, cum nunciet Angelus almæ.
Matri..... »

Sibillæ : Cumana et Helespontica extollunt *Matrem puellam* Salvatoris venturi. Prior enim canit :

« *In cunctis humilis castam pro matre Puellam*
Diliget; hæc alias forma præcessit omnes. »

Posterior autem loquitur :

« *Dum medior quondam, vidi decorare Puellam*
Eximio, castam quod se servaret, honore :
Munere digna suo et divino minime visa,
Quæ sobolem mundo pareret splendore micantem :
Progenies summi speciosa et vera Tonantis,
Pacifica mundum, qui sub ditione gubernet. »

Quis non videt prædictiones hos Sibyllarum concordare vaticiniis Prophetarum Dei : Jeremiæ, cap. 31, v. 22 : « Novum creavit Dominus super terram, fœmina » circumdabit virum. » David, Ps. 131, v. 11 : « De » fructu ventris tui ponam super sedem tuam. » Malachiæ, cap. 4, v. 2 : « Et orietur vobis timentibus nomen » meum sol justitiæ. » Danielis, cap. 9, v. 24 : « Septua- » ginta hebdomades abbreviatæ sunt, ut deleatur ini- » quitas et ungatur Sanctus sanctorum. » Isaiæ, cap. 7, v. 4 : « Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur » nomen ejus Emmanuel, etc. »

Denique Sibyllæ : Erythræa et Tiburtina exacte indicant locum et nationem, ex quibus debet Filius Dei ex Virgine natus oriri. — Ita enim Erythæa vaticinatur :

« *Cerno Dei Natum, qui se dimisit ab alto.....*
Hebræa quem Virgo feret de stirpe decora.....
Virgine Matre satus..... »

Carmen autem Tiburtinæ Sibyllæ puellam ex urbe Nazareth depingit :

« ..... *Sanctam potui monstrare puellam,*
Concipiet, quæ Nazareis in finibus illum,
Quem sub carne Deum Bethlemtica rura videbunt. »

Carmina hæc analoga sunt vaticiniis Balaam, Numeri, cap. 24, v. 17 : « Orietur stella ex Jacob et consurget » Virga de Israel. » Amos, cap. 9, v. 11 : « In die illa » suscitabo tabernaculum David. » Michææ, cap. 5, v. 2 : « Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus » Juda : ex te mihi egredietur, qui sit dominator in » Israel, et egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis. »

B) Vita et miracula Christi a Sibyllis prædicta sunt.

108. — Vaticinia Sibyllina hujus generi transmisit nobis Lactantius in suo celebri opere « *Institutiones divinæ* » quod contra Ethnicos veritati christianæ resistentes confecit. Capite igitur 15, libri 4 hujus operis, legimus sequentia de Christo vaticinia Sibyllina :

A) *Omnia verbo agens, omnem infirmitatem curans.*

B) *Mortuorum autem resurrectio erit, et claudorum cursus velox, et surdus audiet, et cœvi videbunt, et mortui loquentur* (item vide N. 49).

C) *In panibus simul quinque et piscibus duobus hominum milia in deserto quinque satiabat, et reliquias tollens post fragmenta omnia duodecim cophinos implebit in spem multorum* (vide N. 49).

D) *Ventos compescet, sternet autem insanum mare pedibus pacis, fideque calcatum.*

E) *Fluctus perambulabit, morbos hominum resolvet, vivificabit mortuos, arcebit dolores multis; ex vino autem fonte panis, satietas erit veris* (vide N. 49, apud V. Bedam).

Capite 16 ejusdem libri, invenimus Christi proprietates prædictas :

F) « *Miserabilis, ignominiosus, informis et miserabilibus spem præbat.* »

Denique capite 17 ejusdem libri, Christus novus legislator annuntiatur his verbis :

G) « *Sed quando hæc omnia perfecta erunt, quæ dixi in ipsum, omnis lex solvetur* » (idem vide N. 49).

109. — Ad valorem auctoritatemque vaticiniorum Sibyllinorum demonstrandam, expresse ea cum textibus Sacræ Scripturæ relativis comparamus.

Isa., cap. 35, v. 4 : « Deus ipse veniet et salvabit vos...
» Tunc aperientur oculi cœcorum, et aures surdorum
» patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta
» erit lingua mutorum. »

Digitized by Google

Isa., cap. 53, ver. 2 et sequ. : « Non est species ei » neque decor; et vidimus eum et non erat aspectus. » Despectum et novissimum virorum, virum dolorum » et scientem infirmitatem, et quasi absconditus vultus » ejus et despectus, inde nec reputavimus eum. Vere » languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse » portabit, et nos putavimus eum quasi leprosum et » percussum a Deo et humiliatum. Ipse autem vul- » neratus est propter iniquitates nostras, attritus est » propter scelera nostra. »

Matth., cap. 5, ver. 17 : « Nolite putare quoniam veni » solvere legem aut prophetas, non veni solvere, sed » adimplere. »

C) Sibyllæ passionem Christi prædixerunt.

110. — Partem hanc rursus ex laudato Lactantio probamus, qui complura Sibyllarum testimonia conservaverit in suis *Institutionibus divinis* præsertim, cap. 18, libri 4ᵘ.

A) « *In manus iniquorum et infidelium postea veniet,*
Dabunt ei alapas manibus incestis,
Et faucibus immundis expuent salivas virulentes,
Dabit autem in verbera simpliciter innocens tunc deorsum. »

Hoc camparari potest cum vaticinio, Isa., cap. 50, ver. 6 : « Corpus meum dedi percutientibus, et genas » meas vollentibus; faciem meam non averti ab incre

» pantibus et conspicientibus in me. » Et rursus in Ps. 34, ver. 15 legimus : « Congregata sunt super me fla-» gella et ignoravi. »

B) « *Et colaphos accipiens tacebit, ne quis agnoscat,*
Quod verbum et unde veniet, ut mortuis loquatur,
Et coronam portabit spineam » (vide N. 49).

Isa., cap. 53, ver. 7 : « Oblatus est quia ipse voluit, et » non aperuit os suum, sicut ovis ad occisionem ducitur » et quasi agnus coram tradente se obmutescet. »

C) « *In cibum autem fel et in sitim acetum dabunt,*
Inhospitalitatis hanc monstrabunt mensam. »

Legatur Ps. 68, vers. 22 : *Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.*

D) Ultimo loco hujus capitis Sibylla, quæ juxta Tertulianum fuerit Lamia, stultitiæ impietatisque increpat Judæos, his verbis :

« *Ipsa* (Judæa) *enim stulta Deum tuum non cognovisti,*
Ludentem inter mortales cogitationes, sed et spinis (1)
Coronasti corona, horredumque fel miscuisti. »

Videtur idem prædicare Zach., cap. 13, vers. 6 : « *Et dicetur ei, quid sunt plagæ istæ in medio ma-*

(1) Apud S. Augustinum versus hic sonat :

« Ludentem mortalibus mentibus et spinis, etc. »

nuum tuarum? Et dicit his, plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me.

111. — Eadem Sibylla prosequitur circumstantias Passionis Christi describere, atque indicare, apud Lactantium cap. 19 ejusdem libri ac operis :

E) « *Templi vero scindetur velum et medio die.*
Nox erit tenebrosa ingens tribus horis. »
(Vide V. Bedam, N. 49).

Idem prædixerunt Jeremias et Amos. Prior, cap., 15, v. 9 : « *Defecit anima ejus; occidit ei sol cum adhuc esset dies...* Alius autem, cap. 8, v. 9 : *Et erit in die illa, dicit Dominus Deus : occidet sol in meridie et tenebrescere faciam terram in die luminis.*

F) Denique.

« *Mortuis fatum finiet triduum sopitus,*
Et tunc a mortuis regressus in lucem veniet,
Primus resurrectionis vocatis initium os tendens. »

Hæc prædicta Sibyllina adimpleta fuisse in Christo edocent nos. Matth., cap. 20, v. 18 et 19; et Lucas, cap. 14, v. 7.

112. — Eadem testimonia Sibyllina, quæ superius de Passione Christi retulimus, apud Lactantium ultro citroque dispersa, S. Augustinus in unum carmen collexit et in *Contione ad catechumenos contra Judæos, Paganos et Arianos*, citata acrostichide jam ex capite 23, libri 18 *de Civit. Dei* nota (vide N. 105), reproduxit, ajens : « *Aliosque versus Sibyllinos Christi Passionem*

apertius demonstrantes, intentissime audiamus. » Quia autem versi hi fere ad amussim concordant allegationibus Lactantii (N. 110 et 111), ideoque eos omittimus.

113. — Denique Sibyllæ, teste Sozomeno, Christum in cruce moriturum fuisse, prædixerunt. Legimus enim apud Sozomenum, *Hist. eccles.*, lib. 2, cap. 2 : « *Neque certe tantopere mirandum est, præsertim cum ipsi Gentiles ingenue fatentur hoc esse Sibyllæ carmen :*

« *O lignum felix, in quo Deus ipse pependit.* »

Istud enim ita esse; nemo, etiamsi acri studio contra pugnare voluerit, pernegabit. Quare et lignum crucis et ejus veneratio a Sibylla præsignata est.

D) Sibyllæ secundum Christi adventum, extremi judicii die, annuntiarunt.

114. — Præter acrostichidem, quam recensuimus (vide N. 104 et 105), ad probandam quæstionem præsentem, habemus testimonium S. Justini Martyris, qui « *in Explicatione ad* 74 *quæstionem, quam gentes Christianis proferunt,* » de extremo judicio a Sibyllis annunciato, ait : « *Si hujus status finis est judicium per ignem, in iis, qui a Dei religione abhorrent, quemadmodum et Prophetarum et Apostolorum scripta declarant et præterea Sibyllæ, sicut beatus Clemens, in Epistola ad Corinthios scripsit..... revocationis spem nullam gentes habent.*

115. — Dissertius argumentum probat testimonium V. Bedæ, qui sub fine de Sibyllis, præsertim de Tiburtina, tractatus recenset omnia de extremo judicio prædicta Sibyllina, et veluti historiam ejusdem narrat. Enumerata longissima serie regum et principum initiali tantummodo littera designatorum, scribit sequentia : « *Et quum cessaverit imperium Romanorum, tunc revelabitur manifeste Antichristus, et sedebit in domo Domini in Hierusalem. Regnante autem eo, egredientur duo clarissimi viri : Helio et Enoch, ad annuntiandum adventum Domini, et Antichristus occidet eos, et post dies tres a Domino resuscitabuntur. Tunc erit persecutio magna, qualis non fuit antea, nec postea subsequetur. Abbreviabit autem Dominus dies illos propter electos, et occidetur virtute Domini Antichristus a Michele Archangelo in monte Oliveti. Quumque hæc Sibylla et alia multa Romanis prædiceret futura, quibus etiam signis ad judicandum Dominus venturus est, vaticinando versus inhoavit, dicens.* » Hic V. Beda reproducit acrostichinem juxta S. Augustini versionem (vide N. 105) et ea finita prosequitur : « *Tunc judicabit Dominus secundum uniuscujusque opus, et ibunt impii in gehennam ignis æterni; justi vero vitæ æternæ præmium recipient, et cælum novum, et terram novam et mare jam non erit. Et regnabit Dominus cum Sanctis in sæcula sæculorum. Amen.* »

116. — Ast omnium clarissimum documentum veritatis a nobis propugnatæ sunt ipsarum Sibyllarum de

extremo judicio prædictiones, quas nobis sæpe citatus Lacutantius conservavit, trasmisitque libro 7 *de Vita Beata*, Suarum Institutionum divinarum. Ita capite 17 legimus hæc Sibyllina carmina.

A) « *Venit et beatorum volens urbem expugnare :*
Et quidem a Deo missus rex ad suos,
Omnes perget reges magnos et viros optimos,
Et sic judicabit ab immortali hominibus. »

B) Alia Sibylla canit :

« *Tunc ex sole Deus mittet regem;*
Qui omnem terram placabit a bello malo. »

Comparentur : 1. Reg. cap. 2, ver. 9 et 10 : « Pedes Sanctorum suorum servabit, et impii in tenebris contiscent... Dominum formidabunt adversarii ejus, et super ipsos in cœlis tonabit; Dominus judicabit fines terræ, et dabit imperium regi suo, et sublimabit cornu Christi sui. » Ps. 94, ver. 13 et 14 : « A facie Domini, quia venit, quoniam venit judicare terram. Judicabit orbem terræ in æquitate, et populos in veritate sua. »

117. — Capite autem 19 ejusdem libri conservantur alia Sibyllarum carmina de secundo Christi in hunc mundum adventu, quæ hic reproducimus cum S. Scripturæ locis relativis comparationem instituendo.

C) « *Cum veniet ignis erit, tenebræque in media nocte obscura.*
. . . .
Conterent autem simulacra homines et divitias omnes. »

D) Erythræa.

« Opera autem dæmonum humanis manibus facta exurentur. »

E) Eadem cap. 20 ait.

« Cum autem dies iste finem fatalem acceperit,
Et ad mortales judicium immortalis Dei venerit,
Veniet super homines magnum judicium, et initium. »

F) Alia Sibylla pariter extremum judicium annuntiat :

« Tartaræum chaos ostendet terra dehiscens.
Veniet autem ad tribunal Dei reges omnes.
. . . .
Cœlum volvens terræ latebras aperiam,
Et tunc exsuscitabo mortuos fatum solvens,
Et stimulum mortis, posteaque in judicium ducam
Judicans piorum, atque impiorum vitam vivorum ».

H) Denique capite 23 legimus :

« Etenim durum ad credendum omne hominum genus,
Sed cum jam mundi et mortalium venerit judicium,
Quod Deus ipse fecit, judicans impios simul et pios.
Tunc demum impios quidem in tenebras in igne mittet;
Qui autem pietatem colunt; iterum vivent in terra
Spiritum Deo dante honorem simul, et vitam ipsius ».

Ut loco hoc clare demonstretur convenientia ac summa Ecclesiæ Catholicæ ratio, quare in Missa pro defunctis de extremo judicio monens fideles, ad testimonium Sibyllarum recurrit, dicens. « *Dies iræ*, *dies illa*,

Solvet seclum in favilla, Teste David cum Sibylla » omnes textus Sacrum Codium de ultima hominum ac rerum hujus mundi fine tractantes adducere, simulque eo modo conformitatem, unitatemque vaticiniorum Sibyllinorum cum Dei Prophetis ostendere, sibi proposuimus. Claritas ac evidentia sensus in Sacris Testimoniis adducendis talis est naturæ, ut quæcumque explicatio, ad attentonem judiciumque lectris recte super ista Constituendum, prorsus sit superflua ac inutilis; quare simpliciter citabimus præcipua S. Scripturæ loca, quæ ad rem nostram pertinent. Ita inter alia loca, Isai., cap. 2, vers. 18 et 19 : « Et idola penitus conterentur. Et in» troibunt in speluncas petrarum, et in voragines » terræ, à facie formidinis Domini, et à gloria majes» tatis ejus, cùm surrexerit percutere terram. » Isa. 66, vers 15 : « Ecce Dominus in igne veniet, et quasi » turbo quadragæ ejus, reddere in indignatione furo» rem suum, et increpationem suam in flamma ignis. » Quia in igne Dominus dijudicabit. » Matth. cap. 13, vers 41 et secq. : « Mittet Filius hominis angelos suos, » et colligent de regno ejus omnia scandala, et eos, qui » faciunt iniquitatem : Et mittent eos in caminum » ignis : ibi erit fletus, et stridor dentium. Tunc justi » fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum. » Matth. cap. 24, vers. 29 et secq. : « Statim autem post tribula» tionem dierum illorum, sol obscurabitur, et luna non » dabit lumen suum, et stellæ cadent de cœlo, et virtu» tes cœlorum commovebuntur. Et tunc parebit signum

» Filii hominis in cœlo; et tunc plangent omnes tribus » terræ : et videbunt Filium hominis venientem in nu- » bimus cœli cum virtute multa, et majestate. Et mittet » angelos suos cum tuba, et voce magna : et congre- » gabunt electos ejus a quatuor ventis, a summis cœlo- » rum usque ad terminos eorum. » Matth., cap. 25, vers. 31 et secq. « Cum autem venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ. Et congregabuntur ante eum omnes gentes; et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis. Et statuet oves quidem a dextris suis, hædos autem a sinistris. Tunc dicet rex his qui a dextris ejus erunt : Venite, benedicti Patris mei ; possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi....... Tunc dicet et his, qui a sinistris erunt : Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et angelis ejus. »

118. — Jam ex allatis testimoniis Patrum Ecclesiæ scriptorumque ethnicorum, quæ in ipsarum Sibyllarum allegatis carumnibus verificantur, demonstratur et probatur : *reapse Sibyllas de Christi nativitate, vita, miraculis, passione, morte, resurrectione ac altero in hunc mundum adventu*, clare, aperte et sine hæsitationis dubiique nota, *complura vaticinia* ennuntiasse, et suis congentilibus intimasse atque inculcasse, ut ipsi mitiores dociliores que ad Christum sua cum divina doctrina recipiendum redderentur. Dein nemo non videt, omnes longe ante Christi adventum prædictos eventus,

quos ipse hac in terra perficere atque adimplere dignatus est, doctrinæ ejus, scilicet, *Christianismi* et fundamentum, et probationem, et documentum constituere. Quare prædictiones Sibyllarum eventus Christi annuntiantes, testimonium Ipsi Ipsiusquæ doctrinæ proferunt, atque alta voce proclamant. His dictis, nullum opus erit, dissertius secundam propositionis nostræ partem (vide N. 98) tractare, nam ista non inducit rem, vel factum probandum, sed proprie dictam partis primæ conclusionem constituit. — Quare demonstratum fuit: *Sibyllas multa de Christo prædixisse, ideoque ejus divinæ Religionis, seu Christianismi, testimonium constituere.*

119. — Reapse apud S. Justinum indefensum ex carminibus Sibyllinis refutatorem superstitionis ethnicæ, et christianæ disciplinæ propugnatorem, legimus versus Sibyllarum, qui annuntiant et describunt signa et qualitates sectatorum novæ religionis a Deo institutæ, id est, Christianismi. Ecce pulcherrimus cantus Sibyllini articulus, Christi fideles respiciens :

« Felices ollas animæ telluris habebunt.
Laude Deum prius ingentem, quam corpora curent.
Insigni quæ confisæ pietate habebunt.
Cunctaque despicient templorum tecta, negantes,
Aras surdorum nihili monumenta deorum,
Cædibus et spurco piendum polluta cruore.
Uniusque Dei sacris pia tuba litabit. »

ARTICULUS V.

DE QUIBUSDAM ADVERSARIIS SIBYLLARUM EX CANONE S. SCRIPTURÆ REFUTATIS.

120. — In jam peracta quæstionum disquisitione, non solum exposuimus nostram doctrinam, sed etiam adversarios Sibyllarum refutavimus. Adversarii, quos hucusque debellavimus, quadruplicis generis sunt : *primi* existentiam Sibyllarium negant; *alii* numerum bisquinum respuunt; *tertii* existentiam quidem Sibyllarum etiam eorum bisquinum numerum confuse admittunt, sed earum de Christo prædictiones ut falsas, suppositas, et corruptas omnio proscribunt; *quarta species* adversariorum prædictiones Sibyllarum agnoscit, sed eas inter dœmoniorum vates recenset. Ast præter hos, alia adversariorum species restat refutanda, de qua jam suo loco (vide N. 24) monuimus, et nunc specialiter tractabimus. Sunt quidam inter protestantes, incredulosque philosophos, qui, ut facilius efficaciusque reverendam atque pretiosissimam propter suam antiquitatem claritatemque auctoritatem Sibyllarum destruerent, Ecclesiæ Patres, viros doctrina, virtute, atque

sanctitate spectatissimos deridere conantur, eos ignorantiæ, bonæ fidei, simplicitatis, nimiæ credulitatis, ac denique imperitiæ nota opprimendo.

121. — Inter hos præcipue distinguuntur: *Blondellus* in suo *Tractatu de Sibyllis* (1), appellans Patres simplices et credulos nimis homines, quorum bona fides miserationem commoveat, asserit: solum modo bonum Constantinum, bonum Augustinum aliosque talia somnia, ut sint carmina Sibyllina, admittere potuisse; etc.

Dupinus, Defensoris gratiæ nomem sibi tribuens, in *Dissertatione præliminaria*, tom. 3, lib. 2, cap. 7, scripsit (2) : « *Patres ut veros allegando versus Sibyllinos, excusantur, quia illos accurate non examinarunt; dein crediderunt, eos reapse esse Sibyllarum, quia erant nomine ipsarum designati; denique nihil mirandum est, quod Patres hos libros critice non examinaverint, quia penitus se dederunt majoris consequentiæ rebus.* » Denique *Dom Ceiller*, in Historia Auctorum Sacrorum et Ecclesiasticorum (tom. I, lib. 3, cap. 5, N. 15

(1) Blondell., *traité sur les Sibylles.*

(2) Dupin. *Dissert. prelim.* « Les Pères *sont excusables* d'avoir cité les vers des Sibylles, comme véritables, parce qu'*ils ne les avaient pas examinés*, et que, les trouvant publiés sous le nom des Sibylles, ils croyaient de *bonne foi* qu'ils en étaient; et il ne faut pas s'étonner, que les Pères n'*aient point examiné ces livres en critiques;* on sait assez qu'ils s'appliquaient tout entiers à des choses de plus grande *conséquence,* » etc.

scriptitat (1) : *Non est mirandum, quod Sancti primis sæculis viventes in bona fide pro veris acciperint hæc scripta supposita. Illi enim non objiciebant mendacium et imposturam aliis, quas patrare nec rationem perspiciebant, nec ipsi capaces erant. Dein certum est, quod temporibus illis non curaretur tantum investigatio operum, quæ in Ecclesia usum obtinebant, quantum hodie id peragitur. Sancti cum simplicitate recipiebant omne id, quod veritati favens invenirent, et eo magis ad refutandum ethnicismum Sibyllis utebantur, quia Gentiles magno cum respectu eas tractabant.*

122. — Ex allatis testimoniis clare eruitur, ut nostri adversarii magna ignorantia, vel mala fide perversitateque laborentur, ideoque tam Sibyllas, quam Patres eas defendentes, audaciter aggrediuntur. Et reapse cuique etiam parum in rebus ecclesiasticis versato non

(1) Dom Ceillier, *Histoire des Auteurs sacr. ecclés.* « *Il n'est pas étonnant*, que les Saints, qui ont vécu dans les premiers siècles, aient pris *de bonne foi* ces écrits supposés pour véritables. Ils n'attribuaient point aux autres, quand ils n'en voyaient point de raison, un mensonge et une imposture, dont ils se sentaient incapables. D'ailleurs il est certain, qu'on s'occupait moins en ce temps-là à faire le discernement des différents ouvrages, qui avaient cours dans l'Eglise, que l'on fait aujourd'hui. Les Saints *recevaient avec simplicité* ce qu'ils trouvaient favorable à la vérité, et s'en servaient pour combattre le paganisme, à cause du respect que les païens avaient pour les Sibylles.

Digitized by Google

latet, quam strenue Patres pro canone Sacrorum Librorum dimicuisse, ideoque non indiscriminatim accipiebant, quæ sub oculis ipsorum caderent, sed caute diligentissime peracto judicio, vera atque genuina a falsis et spuriis discernebant. Hoc sane adversariis nostris, qui satis scripta Patrum perscrutasse videantur, ignotum non est, nec esse potest; quare ipsi tantummodo malæ fidei et perversitatis arguendi sunt, eo magis, quod assertiones eorum non fulciantur probationibus quibuscumque in genere, et specialiter argumentis ex ipsis Sibyllis Patribusque, vel testimoniis cœvorum scriptorum excerptis; imo ex historia, per XVI sæculos neminem scriptorum catholicorum vel heterodoxorum Sibyllis Patribusque quidquid opposuisse, constat. Dein mala fides nostrorum adversariorum apparet etiam ex modo, quo ratiocinia sua confecerint; argumenta enim eorum non innituntur factis, vel principiis, vel denique aliorum testimoniis, sed in suppositionibus, dubiis ab ipsis motis, mendaciis, et factorum circumversionibus consistunt. Quare ad melius elucidandam hanc quæstionem, sequentem propositionem statuimus.

Propositio. — *Canon Sacrorum Codicum non solum Patres contra adversariorum aggressiones injustas defendit, sed etiam ipsarum Sibyllarum auctoritatem adjuvat.*

123. — Haud mihi ambigam, quod non pauci deri-

deant, atque negent nexum Canonem inter et Sibyllsa existere, et meam propositionem extravaganti phantasiæ tribuent; quare significationem ejus explicare præstat, et notiones prævias præmittere curandum est.

124. — *Canon* Librorum Sacrorum ex idiomate græco provenit Κανών, qui normam, regulam significet, et designat nobis catalogum Codicum, unde regulam habemus, qua libros a Deo reapse inspiratos dignoscimus. Canon hic non solum in Novo Fœdere existit, sed jam in Antiquo Testamento notus fuit, ut eruitur ex Josepho Flavio, lib. 1, cap. 8, contra Apionem et ex Elia levita (in Masora Masaroth, sive Masored Ammasored) Thalmud Hierosolymitanus, (lib. Megilla, cap. 3). Juxta hunc canonem hagiographicum Sacri Codisces in *canonicos et apocryphos* dispescuntur. Primi sunt ii, qui a Concilio Tridentino ut divini, scilicet, ex inspiratione divina conscripti agniti, et in canonem Ecclesiæ Catholicæ relati sunt. Posteriores sunt omnes ii libri, qui extra Vulgatam a Concilis Tridentino approbatam, veluti divini proferuntur, et qui reapse defectum Inspirationis divinæ, vel per res inutiles et ridiculas ab ipsis narratas, vel per suam rectitudini fidei morumque sanctitati contrarietatem et oppositionem comprobant, et clara suppositionis corruptionisque indicia proferunt, ut verbi gratia : Evangelia : secundum Hebræos, Ægyptios, duodecim Apostolos, secundum Petrum, Paulum, Bartholomæum, Matthiam, Thomam, Andream, Philippum, Taddæum, Barnabam, Nicodemum; Evangelium Syriacum; Evange-

lia : Basilidis, Apellis et Valenti etc. Plures apocalypses : Pauli, Thomæ, Stephani et Psalmi Adami et Hevæ; Liber generationum Adæ, Evangelium Hevæ, aliique complures. Dein libri *canonici* dividuntur, in *protocanonicos,* seu primo canonicos qui semper, ubique, et ab omnibus Ecclesiis Patribusque ut divini habebantur, et in *Deuterocanonicos*, seu secundo canonicos, qui ab aliquibus Ecclesiis et Patribus in dubium suspicionemque yacabantur, Concilio tamen Tridentino uti auctoritate divina pollentes agniti sunt.

125. — Data brevi canonis notione facilis nunc est explicatio sensus significationisque propositionis a nobis enuntiatæ (N. 122). Ex jam dictis (N. 122) eoque, quod inferius probabimus (N. 125), patet : Patres Ecclesiæ diligentissimos atque magnopere sollicitos fuisse in Libris Sacris, aliisque scripturis cum religione habentibus Christiana nexum examinandis; in iis a falsibus exemplaribus discernendis ; denique in sua opinione sententiaque, si de ipsis quæstio movebetur, juste et recte efformanda. Quare si Patres tantum laborem, tanta stùdia impenderint ad canonem Librorum Sacrorum conficiendum, utique alieni sunt superioresque omni vituperationi, aggressioni, atque suspectui adversariorum, qui eos reprehendere satagunt, ut ipsi sine examine, in bona fide ac simplicitate, indiscriminatim omne scriptum, quod ipsis suppeditabatur, receperint.

Ex altera parte, existentia canonis repellit adversariorum aggressiones omnino injustas, et demonstrat

ipsorum grassam vel affectatam rerum ecclesiasticarum ignorantiam. Dein Canon Sacræ Scripturæ non solum diligentiam, curam, et judicium Patrum in scripturis recipiendis comprobat, sed etiam Sibyllarum auctoritatem adjuvat defenditque; — quia Patres tam severi et scrupulosi in suo judicio de Scripturis pronuntiando, certe non allegassent, laudassent, atque ethnicis commendassent Sibyllas, si quid contra eas habuissent, si eas ad impietatem depravationemque morum suos lectores ducere apprehendissent.

Ideoque prout dupplex pars nostram propositionem constitut, pariter duplicem argumentorum seriem adstruemus, quarum una : « *Patres magnum laborem in canone conficiendo sustinuisse, ideoque non mereri adversariorum antisibyllinorum reprehensiones* » probare curabit; altera autem : « *canonem a Patribus institutum ipsorumque criticem in Scripturis examinandis auctoritatem Sibyllarum corroborare* » demonstrabit.

PROBATUR PARS I. — *Canon Sacræ Scripturæ Patres contra adversariorum aggressiones defendit.*

126. — Veritas hujus propositionis verificatur, si reapse Patres Libros Sacros, aliasque scripturas nexum Christiana cum religione habentes, ante ipsarum receptionem atque approbationem examinaverint, critice disquisiverint, vera a falsis discrerint, et altera recipiendo, altera respuendo, suum judicium clare,

recte, atque distincte exposuerint et pronuntiarint, si denique, ne fideles in errorem inducerentur, nec essent fluctuantes, neque omni vento doctrinæ circum ferrentur, Canonem, idest, Sacrorum Librorum catalogum conficerint, ipsumque fidelibus legendum commendarint. Ast infinita in scriptis Patrum invenimus testimonia, quibus conditiones ad laborem curamque Patrum in canone conficiendo demonstrandam, ad famam ipsorum honoremque conservandum necessariæ comprobantur; ergo Patres non solum liberi, sed etiam omni discrimini superiores sunt accusationum, quas antisibyllistæ contra eos movere conantur (vide N° 120).

Ad ponendam in majori evidentia nostræ Patrum defensionis rectitudinem veritatemque, ex ipsorum scriptis tantummodo aliqua præcipua, quæ circa Canonis materiam versentur, adducere sufficit testimonia; — quia aliter ad omnia hujusmodi Patrum colligenda testimonia, expresse vastissimum opus conficere necessarium esset.

127. — Nostram propositionem probaturi, eos solum modo Patres allegabimus, qui vel fusius de Sibyllis in suis operibus disseruere, vel qui ante Sibyllarum a Stilicone anno 399 peractam combustionem, vel paupo post in Ecclesia floruere. Præter id, quod de Patribus specialiter excusserimus, præprimis mentionem faciendum est de canonibus, quos Patres ad Scripturas Sacras discernendas ab apocryphis exemplaribus statuerunt in diversis Conciliis provincialibus, ut verbi gratia :

in Hipponensi anno 393 celebrato, in Carthaginensibus ex annis 397 et 419, denique in Romano. Ita in Concilio Carthaginensi III ab Aureliano Episcopo anno 397 congregato, cui S. Augustinus cum aliis 46 Antistitibus interfuerat, canone 47 statutum fuit, ut præter Scripturas Canonicas nihil sub nomine divinarum scripturarum legeretur, ibique a Patribus declaratum fuit : « A Patri- » bus ista accepimus in Ecclesia legenda. »

Con. Laodicense, Laodiceæ in Phrygia celebratum, canone 60 indicem Librorum Cononicorum protulit; ex quo constat, nondum in Asiaticis Ecclesiis Libros : Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Ecclesiastici et Apocalypsis, uti sacros et canonicos, idest, uti divinæ Scripturæ partes, communi usu receptos fuisse,

Dein S. Innocentius I. Rom. Pontifex (402-417), in Epistola anno 405 ad Exsuperium Episcopum Toletanum data, tradidit S. Scripturæ traditione Patrum constitutum canonem, qui post decretum Concilii Tridentini in Ecclesia Catholica usum obtinuit. Denique Gelasius R. Pont. (490-496) in Synodo Romana ab ipso anno 494 congregata, eos libros Sacræ Scripturæ uti canonicos recepit, quas Epistola ad Exsuperium uti tales agnoverat, et quas postea Tridentinum divinos esse decrevit.

Quamvis hæc sufficientia sint ad probandum : Patres primævæ Ecclesiæ multum canonicitatem Sacrorum Librorum curasse, attamen ad melius rem enucleandam, quædam Patrum testimonia materiam hanc spectantia inquirere sibi proposuimus.

128. — *Quomodo Patres*, ut volunt nostri adversarii, *simplices*, *creduli in recipiendis operibus*, *quæ in Ecclesia usum obtinebant*, *erant? quomodo sine examine*, *critice*, *ac in bona fide quæcumque religioni Christianæ faventia scripta pro veris ac genuinis* existimabant? demonstrant nobis ipsorum certamina, quæ cum coëvis hæreticis ethnicisque canonicitatem quorumdam Librorum Sacrorum propugnando, alios veluti apocryphos respuendo, sustinuerint. — Audiamus primo loco S. Augustinum, quem Blondellus *bonum Augustinum* appellare non veretur, quomodo contra Faustum Manichæum arguit canonicitatem Sacrorum Codicum, quorum ille perplexe veros respuebat, falsos autem recipiebat. Ita igitur S. Augustinus in libro II, cap. 2, contra Faustum cum vero ratiocinii criticeosque criterio indicat regulam, qua veræ a falsis scripturis discerni possint. Ait enim : « Tu es ergo regula veritatis? quidquid contra te fuerit, non est verum. Quid si alius simili insania, sed tamen qua tua duritia confringatur, existat et dicat. Imo illud, quod pro te sonat, falsum est; hoc autem quod contra te est, verum est; quid acturus es, nisi forte alium librum prolaturus, ubi quicquid legeris, secundum tuam sententiam possit intelligi? Hoc si feceris, non de aliqua ejus particula, sed de toto audies contradicentem et clamantem, falsus est, quid ages? Quo te convertes? Quam libri a te prolati originem, quam vetustatem, quam seriem successionis testem citabis? Nam si hoc facere conatus fueris et ni-

hil valebis; et vides in hac re, quid Ecclesiæ Catholicæ valeat auctoritas, quæ ab ipsis fundatissimis sedibus Apostolorum usque in hodiernum diem succedentium sibimet Episcoporum serie, et tot populorum consensione firmatur. Itaque si de fide exemplarium quæstio verteretur, sicut in nonnullis, quæ et paucæ sunt et Sa_ sacrarum Litterarum studiosis notissimæ sententiarum varietates, vel ex aliarum regionum Codicibus, unde ipsa doctrina commeavit, nostra dubitatio dijudicaretur; vel si ibi quoque codices variarent, plures paucioribus, aut vetustiores recentioribus præferrentur : et si adhuc esset incerta varietas, præcedens lingua, unde illud interpretatum est, consuleretur. Hoc modo quærunt, qui, quod eas movet, in Scripturis Sanctis, tanta auctoritate firmatis, invenire volunt, ut habeant unde instruantur non unde rixentur. Hoc autem quod adversus impietatem vestram ex Apostoli Pauli Epistola profertur : *Filium Dei ex semine David esse secundum carnem* omnes Codices et novi et veteres habent, omnes Ecclesiæ legunt, omnes linguæ consentiunt. »

129.—Idem S. Augustinus libro 33, cap. 6 contra Faustum pucherrime vindicat identitatem auctorum Sacræ Scripturæ, et argumenta ejus pro Sibyllarum identitate prebanda inservire possunt. Testimonium hoc in extenso reproducimus. « Sed quod vobis faciam, quos contra testimonia Scripturarum ita obscurdefecit iniquitas, ut quiquid adversum vos inde prolatum fuerit, non esse dictum ab Apostolo, sed a nescio quo falsario sub ejus

nomine scriptum esse, dicere audeatis? Usque adeo a Christiana doctrina aperte aliena est, quam prædicatis, doctrina dæmoniorum, ut eam sub Christianæ doctrinæ nomine defendere nulla ex parte possitis, nisi dicatis falsas esse Scripturas Apostolorum. Infelices inimici animæ vestræ, quæ unquam litteræ ullum habebunt pondus authoritatis, si evangelicæ, si apostolicæ non habebunt? De quo libro certum erit cujus sit, si litteræ, quos Apostolorum dicit et tenet Ecclesia, ab ipis Apostolis propagata et per omnes gentes tanta eminentia declarata, utrum Apostolorum sint, incertum est : et hoc erit certum, scripsisse Apostolos, quod hinc Ecclesiæ contrarii hæretici proferunt authorum suorum nominibus appellati, longe post Apostolos existentium? Quasi vero et in literis sæcularibus, non fuerint certissimi authores, sub quorum nominibus postea multa prolata sunt et ideo repudiata, quia vel his, quæ ipsorum esse constaret, minime congruerunt, vel eo tempore, quo illi scripserint, nequaquam innotescere, per ipsos vel familiarissimos eorum in posteros prodi commendarique, meruerunt. Nonne, ut alios omittam, sub Hippocratis medici nobilissimi nomine, quidam libri prolati, in authoritatem a medicis non recepti sunt? Nec eos adjuvit nonnulla similitudo rerum atque verborum, quando comparati eis, quos vere Hippocratis esse constaret, impares judicati sunt, et quod ab eo tempore, quo et cætera scripta ejus non innotuerunt, quod vere ejus essent. Ilos autem libros quibus illi, qui de transverso

proferuntur, comparati respuuntur, unde constat esse Hippocratis, unde si quis hoc neget, nec saltem refellitur, sed ridetur, nisi hinc dubitare dementis sit. Platonis, Aristotelis, Ciceronis, Varronis, aliorumque ejusmodi authorum libros, unde noverunt homines quod ipsorum sint, nisi eadem temporum sibimet succedentium contestatione continua? Multi multa de Litteris Ecclesiasticis conscripserunt, non quidem authoritate canonica, sed aliquo adjuvandi studio sive discendi. Unde constat quid cujus sit, nisi quia his temporibus, quibus ea quisque scripsit, quibus potuit, insinuavit atque edidit, et inde in alios atque alios continuata notitia latiusque firmata ad posteros, etiam usque ad nostra tempora pervenerunt, ita ut interrogati cujus quisque liber sit, non hæsitamus, quid respondere debeamus? Sed quid pergam in longe præterita? Ecce istas literas quas habemus in manibus, si post aliquantum tempus vitæ hujus nostræ, vel illas cujusquam Fausti esse, vel has negat esse meas, undeque convincitur, nisi quia illi qui nunc ista noverunt, notitiam suam ad longe etiam post futuros continuatis posterorum successionibus trajiciunt? Quæ cum ita sint, quis tandem tanto furore cæcatur, nisi dæmoniorum, mendaciloquorum malitia atque fallacia consentiendo subversus sit, qui dicat hoc mereri non potuisse Apostolorum Ecclesiam, tam fidam, tam numerosam fratrum concordiam, at eorum scripta fideliter ad posteros trajicerent ut eorum cathedras usque ad præsentes Episcopos certissima successione

servaverint, cum hoc qualiumcunque hominum scriptis, sive extra Ecclesiam, sive in ipsa Ecclesia tanta facilitate proveniat. » Ex hoc testimonio manifeste : allegationes, quas Patres in operibus suis inseruerint, non cum cæca quomodocumque suam Religionem defendendi dispositione, amplexos fuisse, patet; non minus sequitur, ut profunda auctorum Scriptorumque æstimatio penes Patres fuerit rationabilis, justa, principiis criticeos innixa, — ideoque valor ac æquitas accusationum, quas contra Patres antisibyllistæ moverint, veritatis cuique studioso clara ac evidens efficitur.

130. — Jam monuimus (N. 124), de divisione Sacrorum Codecum in : *Canonicos et Apocryphos*, nec nimus mentionem fecimus (N. 128), eamdem divisionem a Patribus in Ecclesia inductam fuisse ad fideles recte hac in materia instruendos. — Nunc nostræ assertionis veritatem demonstrare curabimus testimoniis Patrum, quibus eodem tempore ipsorum cura, labor, studiosa critices in Scripturis judicandis probantur. Brevitatis gratia, aliquorum tantummodo testimoniorum citatione rem nostram persolvere, prius S. Augustinum, dein S. Hieronymum interpellando, curabimus.

S. Augustinus, cap. 23, lib. 15 *de Civitate Dei* hac in re talem tenet sermonem : « *Omittimus igitur earum scripturarum fabulas*, (de gigantibus in connubio Angelorum cum mulieribus speciosis procreatis) *quæ apocryphæ nuncupantur, eo quod earum occulta origo non claruit patribus, a quibus usque ad nos auctoritas ve-*

racium scripturarum certissima et nobilissima successione pervenit. In his autem apocryphis etsi invenitur aliqua veritas, tamen propter multa falsa nulla est canonica auctoritas. » Idem pater, cap. 79, lib 22 *contra Faustum Manichæum* (1), similiter alloquitur : « *Legunt Scripturas apocryphas Manichæi, a nescio quibus autoribus fabularum sub Apostolorum nomine scriptas; quæ suorum scriptorum temporibus in authoritate sanctæ Ecclesiæ recipi mererentur, si sancti et docti homines, qui tunc in hac vita erant et examinare talia poterant, eos vera locutos esse cognoscerent.* » Paulo inferius refutata fabula de percussione S. Thomæ Apostoli in itinere constituti scribit. « *Certe enim Manichæi a quibus illæ scripturæ, quas Canon Ecclesiasticus respuit, tanquam veræ atque sinceræ acceptantur,* etc... »

131. — Sed non solum S. Augustinus doctrinam de canonicitate et apocryphitate S. Librorum nobis transmisit, sed ipsi consonat. S. Hieronymus, qui in *Regula Monachorum*, per Lupum de Oliveto collecta suos dispulos monet : « *Caveas omnia apocrypha, et si quando ea non ad dogmatismi veritatem legere volueris, scias non eorum esse, quorum titulis prænotantur : multa-*

(1) Firmiter in testimoniis S. Augustini insistimus ut clarius pateat scientia, eruditio ac æquitas Blondelli, qui per compasionem misericordiamque hunc doctissimum Ecclesiæ Patrem *bonum Augustinum* appellavit.

que in his esse missa vitiosa. Et grandis prudentiæ est, aurum in luto quærere. Quid enim facit cum psalterio Horatius? cum evangelio Maro? cum apostolo Cicero? Quæ securitas lucis ad tenebres. » Sed multo clarius habemus aliud ejusdem Sancti Doctoris testimonium in Ep. 19 ad Laurentium Epis. ubi enumeratis libris canonicis, ita prosequitur S. Hieronymus : « *Sciendum est, quod et alii libri sunt, qui non sunt canonici, sed ecclesiastici a majoribus appellati sunt, idest: Sapientia, quæ dicitur Salomonis, et alia Sapientia quæ dicitur filii Sirach, qui liber apud Latinos hoc ipso generali vocabulo Ecclesiasticus appellatur, quo vocabulo non autor libelli, sed scripturæ qualitas cognominata est. Ejusdem vero ordinis libellum est Tobiæ et Judith et Machabæorum libri. In novo vero Testamento libellus, qui dicitur Pastor, sive Hermes, qui appellatur duæ viæ v. judicium Petri. Quæ omnia legi quidem in Ecclesiis voluerunt, non tamen proferri ad auctoritatem ex his fidei confirmandam. Cæteras vero scripturas apocryphas nominarunt, quas in Ecclesiis legi noluerunt* (Patres). *Hæc nobis a Patribus tradita sunt, quæ, ut dixi, oportunum visum est hoc in loco designare ad instructionem eorum, qui prima sibi Ecclesiæ ac fidei elementa suspiciant, ut sciant ex quibus sibi fontibus verbi Dei haurenda sunt pocula.* » Hucusque allata testimonia evidenter probant, Patres non in bona fide, indiscriminatim quascumque scripturas recepisse, sed eas prius examini ac critici subjecisse, falsas, erroneas-

que, seu uno verbo apocryphas respuendo, veras ac bonas agnoscendo atque comprobando.

132. — Ultimo loco ad malam fidem, vel grassam ignorantiam adversariorum nostrorum demonstrandam, ad ipsorum aggressiones criminationesque repelendas, oportunum erit, nonnulla testimonia, quibus Patres canonicitatem Librorum defendebant, in lucem proferre. Prætermittimus hic S. Augustinum qui libro 2, cap. 2, contra Donatistas in materia Baptismi canonitatem Sacræ Scripturæ tam Veteris, quam Novi Fœderis urget. Silentio pariter transibimus Tertulianum, qui in libro « *de Præscriptionibus adversus hæreses* » contra Cedronem et Marcionem libros canonicos defendit, refutatque ipsorum Codices corruptos, vel omnino apocryphos. Sed memoratu dignum est testimonium Eusebii (qui vitam Constantini conscripsit, nobisque Sibyllinam acrostichidem transmisit,) qui c. 25, lib. 3 *Historiæ Eclesiasticæ*, loquens de Scripturis omnium consensu receptis, de Apocalypsi ita asserit : « *Postremo adjungenda est, si ita videbitur, Joannis revelatio. Et hæc quidem communi omnium consensu recepta sunt.... His adjunge, si lubet, Joannis revelationem; quam nonnulli ex albo Scripturarum expungunt, alii inter libros omnium consensu probatos annumerant.* » Capite autem 24 ait : *De Revelationis autem libro* (id est de Apocalypsi Joannis) *in utramque parte opinio varietate certatur.* » Si igitur primis Ecclesiæ temporibus nullum fuerit examen in Libris Sacris discernendis recipiendisque,

quomodo tempore Eusebii, ideoque initio sæculi quarti, revelatio Joannis a nonnullis ex albo Scripturarum eradi, quomodo probatione multorum priviari potuerit?

133. — Jam locuti sumus, plurima Evangelia primis Ecclesiæ temporibus circumlata fuisse, (N. 124) quorum quatuor tantum Patres recepisse, alia ut apocrypha, eo non obstante, rejecisse, quod hæretici ultra quatuor quædam alia Evangelia firmiter patrociniarentur. Ratio hæc agendi Patribus intima certe demonstrat, eos non omnia scripta, quæ veritati favebant ipsisque suppeditabant, ut vera agnovisse. Cur igitur Evangelia: Matthæi, Marci, Lucæ et Joannis recepere alia autem Evangelia ut v. gr. Hevæ, Petri, Pauli, Patres, Bartholomæi, Hebræorum, Ægyptiorum, etc., respuere? explicat nobis S. Irenæus, libro 3 *adv. Hæreses*, *cap.* 11 sub fine, scribens:

« Neque autem plura numero quam hæc sunt, neque rursus pauciora capit esse Evangelia. Quoniam enim quatuor regiones mundi sunt, in quo sumus, et quatuor principales spiritus et disseminata est Ecclesia super omnem terram; columna autem et firmamentum Ecclesiæ est Evangelium et spiritus vitæ, consequens est quatuor habere eam columnas, undique flantes incorruptibilitatem et vivificantes homines. Ex quibus manisfestum est, quod qui est omnium artifex Verbum, qui sedet super Cherubim, et continet omnia, declaratus hominibus, dedit nobis quadriforme Evangelium, quod in uno spiritu continetur. Quemadmodum et David postu-

lans ejus adventum, ait : « Qui sedes super Cherubim, (appare). Etenim Cherubim quadriformia, et formæ ipsorum imagines sunt dispositionis Filii Dei. Primum enim animal, inquit, simile Leoni, efficabile ejus, et principale, et regale significans. Secundum vero simine Vitulo, sacrificalem et sacerdotolem ordinationem significans. Tertium vero animal habens faciem quasi humanam, eum, qui est secundum hominem adventum, eis manifeste describens. Quartum vero simile Aquilæ volitanti, Spiritus in Ecclesiam advolitantis gratiam manifestans. Et Evangelia his consonantia, in quibus insidet Dominus Jesus. Aliud enim illam, quæ est a Patre, principalem, efficabilem et gloriosam generationem ejus enarrat, dicens sic. In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, et omnia per ipsum facta suat et sine ipso factum est nihil. Propter hoc, et omni fiducia plenum est Evangelium istud, talis est enim persona ejus. Id vero quod est secundum Lucam, quoniam quidem Sacerdotalis characteris est, Zacharia Sacerdote sacrificante Deo inchoavit. Jam enim saginatus probatur Vitalus, qui pro inventione minoris filii inciperet mactari. Matthæus vero eam, quæ est secundum hominem, generationem ejus enarrat : Liber, dicens, generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham. Et iterum Christi autem generatio sic erat. Humanæ formæ igitur hoc Evangelium : propter hoc et totum Evangelium humiliter sentiens, et mitis homo separatus est. Marcus vero a Prophetico Spiritu ex

alto adveniente hominibus initium fecit : « INITIUM, dicens, EVANGELII, QUEMADMODUM SCRIPTUM EST IN ISAIA PROPHETA. Volatilem et pennatam imaginem Evangelii monstrans, propter hoc et compendiosam, et præcurrentem annuntiationem fecit. Propheticus enim character est hic. Et ipsum autem Verbum Dei, iis quidem qui ante Moysen fuerunt, Patriarchis, secundum divinitatem et gloriam colloquebatur; his vero qui in Lege erant, sacerdotalem et ministerialem actum præbebat. Post deinde nobio Homo factus, munus cœlestis Spiritus in omnem misit terram, protegens nos alis suis. Qualis igitur dispositio Filii Dei, talis et animalium forma : et qualis animalium forma, talis et character Evangelii. Quadriformia autem animalia, et quadriforme Evangelium, et quadriformis dispositio Domini. Et propter hoc quatuor data sunt Testamenta humano generi, unum quidem ante cataclysmum sub Adam; secundum vero, post cataclysmum sub Noe; tertium vero legislatio sub Moyse, quartum vero, quod renovat hominem et recapitulat in se omnia, quod est per Evangelium, elevans et pennigerans homines in cœleste regnum. »

Sed non solus tantum S. Irenæus defendit Quatuor Evangelia, omniaque reliqua respuit, sed unanimiter omnes Ecclesiæ Patres eamdem tenent doctrinam, teste Eusebio in *Hist. eccles.*, lib. 6, cap. 25, ubi Origenes ita hanc quæstionem aggreditur.

« Sicut ex traditione accepi de quatuor Evangeliis, sola in universa Dei Ecclesia, quæ sub cœlo est, citra

controversiam admittuntur; primum, scilicet, Evangelium scriptum esse a Matthæo, prius quidem Publicano, postea vero Apostolo Jesu Christi, qui illud Hebraico sermone conscriptum, Judæis ad fidem conversis publicavit. Secundum fuisse, accepimus, Evangelium Marci, qui prout Petrus ipsi exposuerat, in literas retulit. Atque idcirco Petrus in Epistola catholica (id est canonica) eum filium suum agnoscit his verbis : *salutat vos electa Dei ecelesia quæ est Babylone et Marcus filius meus.* Tertium Evangelium Lucæ, quod a Paulo commendatur in gratiam Gentilium conscriptum. Postremum vero Evangelium Joannis. »

Ex hucusque igitur dictis allatisque testimoniis aperte constat; omnes adversariorum accusationes contra Patres Ecclesiæ esse injustas, et omni fundamento privatas; ex altera parte sequitur, quod, veluti antiquioribus sæculis Patres canonem Sacrum Codicum protugnabant, præsentibus temporibus idem canon hagiographicus Patres defendat.

PROBATUR PARS II[a]. — *Canon hagiographicus auctoritatem Sibyllarum adjuvat.*

134. — Quum thesis hæc nihil aliud sit, quam consequentia et conclusio præcedentis, argumenta ad eam probandam paucis verbis absolvuntur. Cuique est compertum, primævæ Ecclesiæ Patres magno cum studio impendioque curæ immensæ, atque omnibus sanæ critic eos regulis applicatis, Sacros Codices examinasse, comparas-

se, purgasse et approbasse, denique canonem hagiographicum confecisse. Cum autem Patres in suis contra ethnicos directis operibus versus Sibyllinos cum textibus S. Scripturæ allegarunt compararuntque, et ex ipsis sua argumenta adstruxerunt; — ideoque ratio agendi in examinandis atque judicandis Sibyllis debebat esse et reapse fuit analoga, æqualis, uno verbo eadem, quam in Sacris Libris inquirendis. — Ratio hujus evidentissima est, nam si ethnici infensissimi rei christianæ inimici detegissent, vel invenissent citationes Sibyllarum aliquo corruptionis vel suppositionis vitio laborasse; certe, non solum Patres famam suam in discrimen adducerunt, sed etiam argumenta ipsorum multum paterentur violarenturque, ac proin religio Christiana magno damno afficeretur.

Canon igitur hagiographicus, seu examinis criticeosque documentum in Sacris Litteris aliisque cum religione nexum habentibus operibus judicandis, clamat atque testatur : Patres in Sibyllarum carminibus contra ethnicos allegandis, eamdem curam impendisse, eamdemque agendi rationem habuisse ; — ideoque Sibyllarum auctoritatem adjuvat, atque radicitus destruit tollitque vociferationes Blondelli, Dupini, Ceillerii aliorumque ejusdem turbæ scriptitantium.

135. — Ut evidentius canonem hagiographicum auctoritatem Sibyllarum adjuvare demonstremus, necesse est refutare Antisibyllistas asserentes : Patres carminibus Sibyllinis, sine ullo respectu, an sint vera at-

que germina, vel non? ad argumentum ad hominem contra ethnicos conficiendum usos fuisse. Ast cuique etiam parum in Patristica versato notum est: Sibyllas scriptoribus Ecclesiasticis ad argumentum ad hominem modo, quo asserant adversarii, ethnicis objiciendum neque præbuisse neque usui fuisse. Hoc eo probatur quia Patres: 1°) in suis operibus Sibyllas inter et poëtas aliosque Gentiles auctores allegandos differentiam atque distinctionem faciunt; 2°) Sibyllas vates divinos et prophetissas exhibent, quum autem alios scriptores ethnicos veluti historicos profanosque testes respiciant. Et quidem hujus veritatis non nobis desunt testimonia Patrum; ita S. Augustinus refutans Manichæos præsagia ethnica Prophetis Veteris Testamenti anteponentes, distinguit Sibyllas ab aliis Gentilitatis scriptoribus. Legitur enim in lib. 13, contra Faustum qui capite 1 ait: « Sane si sunt aliqua, ut fama est, Sibyllæ de Christo » præsagia, aut Hermetis, quem dicunt Trismegistum, » aut Orphei aliorumque in Gentilitate vatum, hæc nos » aliquando ad fidem juvare potuerunt, qui ex Gentibus » efficimur Christiani. Hebræorum vero testimonia nobis, etiam si sint vera, ante fidem inutilia sunt, post » fidem supervacua; quia ante quidem eis credere non » poteramus, nunc vero ex superfluo credimus. » Ad hanc objectionem S. Augustinus, cap. 15, respondit: « Sibylla porro vel Sibyllæ, et Orpheus, et nescio quis » Hermes, et si qui alii vates, vel theologi, vel sapientes, » vel philosophi gentium de Filio Dei, aut de Patre Deo

» vera prædixisse seu dixisse, pertibentur, valet quidem » aliquid ad paganorum vanitatem revincendam, non » tamen ad istorium auctoritatem amplectendam : cum » illum Deum nos colere ostendimus, de quo nec illi » tacere potuerunt, qui suos congentiles populos idola » et dæmonia colenda partim docere ausi sunt, partim » prohibere ausi non sunt. » Et hac disputatione S. Augustini cum Fausto eruitur : 1) licet Sibyllæ de Deo vero, de Christo venturo prædicaverint suis populis, attamen Christianorum fidem solæ efformare non possunt, nec Prophetis antiquæ legis anteponendæ sunt. 2) Differentia, qua Sibyllæ aliique ethnicorum vates ab aliis scriptoribus distinguuntur, dein differentia quam S. Augustinus per particulam «*et nescio*» Sibyllas inter et alios Gentilitatis vates constituit, demonstrat quod superius assuerimus.

Pariter Tertulianus Sibyllas anteponit aliips scritoribus, quia eas, ut ait in Epistolà de Pallio, *non mendaces* invenit. S. Clemens Alexandrinus in *sermone protreptico* (pag. 21, editionis Florentinæ 1551) appellat Sibyllam vatem et magistram : « *Vobis autem magistram adducam vatem Sibyllam.* » Idem sentiunt S. Hieronymus, *lib.* 1 *contra Jovinianum* et Lactantius, lib. 1, cap. 6 *Institutionum divinarum* (vide N. 2).

136. — Ast omnium testimoniorum fortissimum pulcherrimumque est S. Clementis Alex. qui ex una parte differentiam poëtas inter et Sibyllas constituit, ex altera parte has ultimas Prophetis divinis annumerant. Ita

enim scribit in *Oratione Adhortativa ad Græcos, seu ad Gentes*, p. 29 et 30, editionis Florentinæ ex anno 1551 :

« Si enim cum vel maxime Græci quasdam Verbi di-
» vini accepissent illuminationes, veritatis pauca quæ-
» dam sunt elocuti, attestantur quidem ejus vim non
» occultam, seipsos autem arguunt, ut qui imbecilli
» finem non attigerint. Jam enim existimo cuivis eva-
» sisse manifestum, quod qui absque Verbo veritatis
» operantur aliquid, vel loquuntur, sunt similes iis, qui
» conantur ingredi absque pedibus. Te quoque pudore
» quodam moveant ad salutem, Deorum vestrorum re-
» prehensiones, quibus a veritate coacti poëtæ vestri,
» eos insectantur in comœdiis. » Allegatis versibus Menandri, Homeri atque Euripidis, ita prosequitur Sanctus scriptor : « Tempus est itaque aliis prius ordine
» peractis, venire ad scripturas propheticas. Propheta-
» rum enim responsa, materiam nobis aperte præbentia
» ad Dei cultum et religionem, veritati fundamentum
» subjiciunt. Divinæ autem scripturæ honestæque et
» moderatæ vitæ institutiones, quæ sunt viæ compen-
» diosæ, nudæ a verborum fucis et ornamentis blandi-
» tiisque et illeceberis : erigunt hominem, qui suffocatur
» a vitio, casus eorum, quæ ad victum pertinent, con-
» temnentes, una et eadem voce multa remedia affe-
» rentes, a damnosa quidem fraudes nos dehortantes,
» ad prævisam autem salutem aperte adhortantes. Pro-
» phetissa itaque Sibylla nobis prima canat canticum
» salutare :

« Omnino en clarus, nulloque errore vagatur.
» Dimissis tandem nebulis, tenebrisque venite :
» Solis lux grata aspectu clarissima fulget.
» Figaturque animis præstans sapientia vestris.
» Est mittens imbres Deus unus, fulgura, motus,
» Fulmina, pestes atque fames, et tristia cuncta,
» Et glaciem, atque nives. Quid opus tibi singula dicam?
» Est cœli princeps, Dominus terræ, is quoque vere est.

» Divine profecto errorem quidem tenebris assimilans : » Soli autem et Dei luci, cognitionem. Utrumque autem » adducens in comparationem, docet electionem. Fal» sum enim non per solam veri allationem extermi» natur, sed per usum veritatis per vim ejectum fuga» tur. Heremias autem propheta sapientissimus... » Dein interpellat Issaiiam, Moysen, Osee, David aliosque prophetas Veteris Testamenti. Si igitur in hoc testimonio S. Clemens comparat Sibyllas Prophetis divinis, certe super Sibyllis veluti super Prophetis suum judicium ac criticem constituerat; si autem judicium constituerat, ergo non sine examine, non sine ullo criterio, non in bona fide ac simplicitate sua eas accepit, ergo liber est ab omnibus Antisibyllistarum accusationibus. Dein ex altera parte Sibyllæ S. Clemente inquiruntur et comparantur S. Scripturæ auctoribus, — porro norma judicandi Sacras Litteras est canon hagiographicus, — ergo canon ille, qui statuit de Sacris Codicibus, quibus comparabant quodammodo Patres Carmina Sibyllina, item quodammodo auctoritatem Sibyllarum adjuvat.

137. — Omnes accusationes criminationesque Patrum (vide N. 121) eo originem ducunt, quod adversarii, nescio an in bona fide, vel malitiose, crediderint atque propagaverint : Sibyllas esse a rei christianæ defensoribus, vel suppositas, vel omnino corruptas. Ast præter, quod jam in hac materia disseruerimus, (vide N. 50 et sequen.) Epistolam, quam Aurelius Imperator anno 272, occasione expeditionis contra Marcomanos in Italiam irrumpentes, ad Senatum dederit, memoriæ prodere præstat. Juxta igitur Flavium Vopiscum epistola hæc sonat : « Miror vos, Patres Sancti, tam diu de aperiendis Sibyllinis dubitasse libris, perinde quasi in Christianorum » Ecclesia, non in templo deorum omnium tractaretis (1). Agite igitur, et castimonia Pontificum, cæremoniisque solemnibus juvate Principem necessitate publica laborantem. Inspiciantur libri, quæ facienda » fuerint, celebrentur, quemlibet sumptum, cujuslibet » gentis captivos, quælibet animalia regia non abimo, » sed libens offero : neque enim indecorum est diis ju-

(1) Dictum est, ut spiritus ethnicorum facilius ad prædictiones de Deo vero, de Salvatore venturo legendas alliceretur, Sibyllas multas eventus futuros populis suis annuntiasse et gentes, Romanos præsertim, negotia publica juxta Sibyllarum prædicta tractasse. Post Christi adventum, ne Ejus religio propagaretur, magistratus ethnici, augurum et sophistarum consilia sollicitationesque sequentes, sub pœna mortis lectionem Sibyllarum prohibuere, et hoc et duplici ratione : 1) ne Christiani ex Sibyllis sua argumenta assumerent ex una parte, et ex altera ne ethnici prædictionibus Sibyllarum persuasi ad fidem Christi

» vantibus vincere, sic apud majores nostros multa » finita sunt bella, sic cœpta. Si quid est sumptum, » datis ad Præfectum Ærarii litteris, decerni jussi; est » præterea vestræ auctoritatis arca publica, quam magis » refertam esse reperio, quam cupio. » Quomodo igitur Aurelius, si carmina Sibyllina reapse supposita, vel corrupta fuissent, ad eas inspiciendas consulendasque exhortari potuit? Quomodo Senatum, ex ipsis belli exitum investigare negligentem, increpare potuit? Utique, nos ad hanc questionem nullum aliud dare responsum possumus, nisi Blondello, Dupino, Cillerio aliisque *bonorum* aut potuis *pauperum* epitheon applicando, nec minus misericordia ducti eos excusando, quod rerum ecclesiasticarum peritia criticeosque indicio privati, somnia insensataque de Sibyllis ac Patribus protulerint, et quod omni cum simplicitate animi, Patres in ipsorum ignorantiæ modique agendi conditionibus sese gessisse, crediderint.

138. — Judicium hoc confirmant ipsi Antisibyllistæ,

converterentur; 2) ne Christiani, ad triumphum suæ religionis quam primum obtinendum, ex Sibyllis de futuris eventibus instructi, Reipublicæ mala expresse importarent. Quare sensus epistolæ Aurelii hic est: « *vos ideo negligitis Sibyllas consulere, ne per studiosam sollicitamque ipsarum lectionem* (quam semper Christiani olim desiderabant), *in suspectum profetendæ Religionis Christianæ incidatis, et ut nescientes, quid agere in hoc discrimine Sibyllæ consulant, facilius Reipublicæ cladem interitumque paretis; ast hoc credere Senatui derogaret, ideoque vos patres ad Sibyllas consulendas adhortor.* »

eo quod puriores codices carminum Sibyllinorum in lucem non prodant, nec ubi, quando, quo auctore, et in qua parte eos corruptos fuisse demonstrent, dein quod suas assertiones, suspectus ac argumenta futilibus obinanisque ab ipsis excogitatis fulciant rationibus. Et sane juxta placita eorum, ideo carmina Sibyllina corrupta, vel supposita sunt a quodam Christiano scriptore, quod Sacrarum Litterarum vaticiniis testimoniisque concordent. Ast hæc suppositio refutatur verbis S. Augustini, qui defendens contra Manichæos S. Codicum Scriptores in lib. 33, cap. 7, contra Faustum ad rem nostram scribit: « Quis enim unquam duos historicos » legens, de una re scribentes, utrumque vel utrum- » libet, eorum aut fallere, aut falli arbitratus est, si » unus eorum dixit, quod alius prætermisit? Aut si » aliter aliquid brevius complexus est, eamdem tamen » sententiam salvam integramque custodiens : alter » autem tanquam membratim cuncta digessit, ut non » solum quid factum sit, verum etiam quemadmodum » factum sit, intimaret? » Quod S. Augustinus de historicis profert, in nostro casu Sibyllis Prophetisque applicari potest, quare concordantia et quasi identitas quoad vaticinia de Salvatore venturo Carminum Sibyllinorum cum prædictionibus Antiquæ Legis Prophetarum potuis eos veracia et fide digna esse, nobis demonstrant, quam, quod sint corrupta vel supposita, indicant. Nec plus valet aliud eorum contra Sibyllas argumentum ex nimia claritate, quæ vaticinia earum

historicas narrationes et descriptiones reddat, petitum; nam recte S. Clemens Alex. (vide N. 75 et 76) ejus rationem explicavit, quod nempe ethnici ignorantia et sensualitate obcæcati majorem lucem, clariorem doctrinam ad Christum cognoscendum exigerent. Argumenta igitur hucusque prolata : *canonem hagiographicum auctoritatem Sibyllarum adjuvare*, clare demonstrant probantque.

FINIS.

INDEX MATERIARUM.

INDEX

NOMINUM RERUMQUE NATABILIORUM.

Numerus indicat paragraphum, ubi nomen invenitur, adn. *significat* adnotationem explicantem paragraphum *numero designatum.*

A

B

D

E.

G

H

J

K

L

M

N

O

P

Q

R

S

T

SBN VA1- 1530001

LIBRAIRIE D'ÉTIENNE REPOS,

70, rue Bonaparte, à PARIS.

HISTOIRE GÉNÉRALE

DES

PAPES ET DES CARDINAUX,

Par M. FISQUET.

5 vol. in-8º de 4 à 500 pages chacun. — Prix : **40 fr.** (sous presse).
Ouvrage faisant suite à la *France pontificale.*

Un grand nombre d'écrivains ont déjà, à diverses époques, publié sous toutes les formes, l'histoire des Papes, les uns l'ont indignement travestie, les autres lui ont donné une étendue qui ne rend pas accessible à tous, les volumes qui la renferment. Nous descendons à notre tour dans l'arène avec l'intention de faire pour les successeurs de saint Pierre, vicaires de Jésus-Christ sur la terre, ce que nous avons fait pour les évêques préposés depuis l'établissement du christianisme, au gouvernement des diocèses de France, c'est-à-dire vulgariser leur histoire, et faire connaître aux masses la part immense que les chefs de l'Eglise ont prise depuis dix-huit siècles aux événements dont le monde a été le théâtre, et l'influence civilisatrice qu'ils ont répandue autour d'eux. Accumuler en peu de mots le plus de faits possible, sans cependant ne donner de chaque Souverain Pontife qu'une biographie sèche et écourtée, tel est le but que nous nous efforcerons d'atteindre, au lieu de remplir nos pages de réflexions philosophiques et politiques, comme ont fait la plupart de nos devanciers. Nous n'avons point la prétention de faire une œuvre académique, il nous suffira de faire une œuvre utile à l'Eglise, capable de conserver ou de ranimer au cœur des fidèles ce respect et cet amour pour le Saint-Siége qui, depuis un temps immémorial, ont fait de notre beau pays de France la fille aînée de l'Eglise.

Il nous a semblé aussi que l'**Histoire du Sacré Collége** était l'indispensable corollaire de celle des Papes, et ce motif nous a fait entreprendre la notice des cardinaux depuis la création de cette dignité jusqu'à nos jours.

LIVRES DE PLAIN-CHANT.

Edition dite de DIGNE dont je suis propriétaire.

Antiphonaire, Graduel et Psautier, 3 vol. in-fol. rel. (p. lutrin), net : 135 fr.
Graduel et Vespéral, 2 vol. in-4°, reliés, net : 30 fr.
Graduel, Vespéral et Quinzaine de Pâques, 3 vol. in-12, rel., net : 14 fr.
GRADUEL-VESPÉRAL romain, en un *seul* volume in-12, relié solidement (imprimé en caractere neuf et fondu exprès), prix *net* : 5 fr. 50.
Office des Morts, complet et noté, messes et ordre des funérailles, suivi du cérémonial de l'inhumation, des absoutes et des funérailles des enfants, 1 vol. in-12 cartonné, 1 fr. 50
Offices notés de la Quinzaine de Pâques, 1 vol. in-12 relié, 4 fr.
Cantus diversi, extraits des livres ci-dessus, in-12, cartonné, net : 1 fr. 25.
Paroissien des fidèles, 1 vol. in-18, relié, net : 2 fr.
Eucologe, *tout latin*, à l'usage de tous les diocèses qui suivent le *rit romain*. 1 vol. de 720 pages in-18, relié, net : 2 fr. 25.
Grand Eucologe romain, latin-français, à l'usage de tous les diocèses. 1 magnifique volume in-18 de plus de 1200 pages, relie, net : 3 fr. 75 c.

Ces nouvelles éditions de chant, réimprimées avec des caractères neufs sur beau papier, sont très-complètes; elles ont subi de grandes améliorations, et elles reproduisent fidèlement les leçons les plus universellement répandues depuis le XVIe siècle. La mélodie se trouve d'accord avec les plus anciennes.

Edition dite de DIJON dont je suis encore propriétaire.

Antiphonaire et Graduel romain, grand in-f° pour lutrin, avec les rubriques en français, augmentés de tous les Offices nouveaux concédés par la Cour de Rome. 2 v. solid. rel. scellés avec *coins, clous et fermoir* en cuivre, net : 100 fr.
Graduel romain. Edition correspondant aux livres de lutrin, augmentée de l'*Office noté de la quinzaine de Pâques* et des nouveaux Offices. 1 gros vol. in-12 relié. 5 fr.
Vespéral romain. Edition correspondant aux livres de lutrin, augmentée de l'*Office noté de la quinzaine de Pâques*. 1 vol. in-12 relié. 5 fr.
Processionnal romain, ou Recueil de répons, hymnes, antiennes et autres prières qui se chantent aux processions. 1 vol. in-12 relié. 3 fr. 50 c.
Chants divers extraits du *Graduel* et du *Vespéral* romain. In-12 cart. 1 f. 25.
Office des morts complet et noté; messes et ordre des funérailles, suivi du Cérémonial de l'inhumation, des cinq absoutes et des funérailles des enfants. In-12 cart. 1 fr. 50 c.
Missel des morts noté. In-4° cart. 3 fr. 50 c.
Passions notées. In-4° cart. 3 fr. 50 c.
Le Livre des Epitres et des Évangiles, avec les signes d'inflexion. Belle édition in-4°, relié, net : 7 fr.
Missel romain. Belle édition illustrée de vignettes pour l'encadrement, imprimée sur papier fabriqué à la main, augmentée du nouvel *Office de l'Immaculée Conception*. In-4°, doré sur tranches, reliure solide. 25 fr.
— *Le même*, en chagrin noir. 30 fr.
— *Le même*, en maroquin rouge. 40 fr.
Manuel des enfants de chœur, par l'abbé Cochain. In-18 cart. 1 fr.
Paroissien romain, à l'usage de tous les diocèses. Derniere édit. Rel. 2 fr.
Eucologe, *tout latin*, à l'usage de tous les diocèses qui suivent le *rit romain*. 1 vol. de 720 pages in-18, relié, net : 2 fr. 25.
Grand Eucologe romain, latin-français, à l'usage de tous les diocèses. 1 magnifique volume de plus de 1200 pages relié, net : 3 fr. 75.

GRAND CHOIX DE MUSIQUE POUR ORGUE OU HARMONIUM.

Revue de musique sacrée (10e année), 18 vol. texte et musique. 120 fr.
Bibliothèques des petites Maîtrises. 40 vol. in-8°. 200 fr.
Union des Cathédrales. 20 vol. in-8°. 100 fr.
Anthologie de Musique sacrée. 13 vol. in-8°. 65 fr.
Nouveau répertoire à l'usage de l'Eglise et du Séminaire Saint-Sulpice. 2 vol. in-8°. 24 fr.
Musique d'Eglise des maîtres des XIIIe, XIVe, XVe, XVIe, XVIIe, XVIIIe et XIXe siècles, pour chant, pour orgues ou harmonium.

E. REPOS, 70, RUE BONAPARTE, PARIS.

LA FRANCE PONTIFICALE

(GALLIA CHRISTIANA)

HISTOIRE

CHRONOLOGIQUE ET BIOGRAPHIQUE DES ARCHEVÊQUES ET ÉVÊQUES DE TOUTE LA FRANCE, DEPUIS L'ÉTABLISSEMENT DU CHRISTIANISME JUSQU'A NOS JOURS,

Par M. FISQUET,

Membre de plosieurs Sociétés saveutes.

Publiée en 50 vol. in-8° environ. — Les diocèses se vendent séparément.

VOLUMES PARUS.	Prix nets.
Paris, 2 gros volumes [1700 pages].	18 »
Reims, 1 gros volume, 2e édition.	6 »
Seus et Auxerre, 1 volume.	7 50
Troyes et Moolins, 1 volume.	4 50
Nevers et Bethléhem, 1 volume.	4 50
Séez, 1 volume.	3 50
Rouen, 1 volume, 2e édition.	6 »
Evreux, 1 volume.	3 50
Soissous et Laon, 1 volume.	6 »
Lyon, 1 volume.	8 »
Gap, 1 volome.	4 50
Bayeux et Lisieux, 1 volume.	5 »
Aix, Arles et Embrun, 2 vol., 2e édit.	10 »
Montpellier, Agde, Béziers, Lodève et Saiot-Pons, 2e édition, 2 volumes.	10 »
Digne, Riez, Senez, Glandèves et Sisteron, 2 volumes.	10 »
Bordeaux, 1 volume, 2e édition.	8 »
Cambrai, 1 volome.	6 »
Chartres, 1 volome.	4 50
Versailles, 1 volume.	3 50
Marseille, 1 volume.	6 »
Beauvais, Noyon et Senlis, 1 volume.	6 »
Fréjus, 1 volume.	5 50
Nice, 1 volume.	3 50
Ajaccio, Sagone, Aléria, Mariana et Accia, Nebbio, 1 volume.	6 50
SOUS PRESSE.	
Vienne, 1 volume.	4 »
Bazas, 1 volume.	4 »
Coutauces et Avranches, 1 volume.	3 »
Meaux, 1 volume.	4 »
Châlons-sur-Marne, 1 volume.	4 »
Amiens, 1 volume.	4 50
Orléans et Blois, 1 volume.	5 50

L'impression de la *France pontificale* se poursuit activement.

En préparation :

La Belgique pontificale.
L'Italie pontificale, refonte et continuation de l'*Italia sacra* de Ughelli.
L'Irlande pontificale.
L'Espagne pontificale, refonte et continuation de l'*Hispania sacra*.
L'Allemagne pontificale : Eglises d'Autriche, Bavière, Prusse, etc.

COLLECTION DES DÉCRETS AUTHENTIQUES

DES SACRÉES CONGRÉGATIONS ROMAINES,

TEXTE LATIN, TITRES, SOMMAIRES ET TABLES DES MATIÈRES EN FRANÇAIS.

Edition revue, classée et considérablement augmentée,

Par Mgr BARBIER DE MONTAULT.

Cette précieose collection est publiée en 12 vol. in-12 de 400 pages environ et se vend séparément, POUR LES SOUSCRIPTEURS, net 3 fr. 50 le vol., franco pour la France; pour les non-souscripteurs, 4 fr. le vol.; le prix n'est exigible qu'après la réception de chaque Congrégation, payable en un mandat sur la poste.

CONGRÉGATION DES RITES, 5 vol.

Son Ém. Mgr le cardinal Donnet, membre de la Congrégation des Rites, a bien voulu accepter la Dédicace de ces cinq volumes.

CONGRÉGATION DES RELIQUES, 1 vol.

CONGRÉGATION DES INDULGENCES, 1 vol.

CONGRÉGATION DE L'INDEX, 1 volume.

CONGRÉGATION DE L'IMMUNITÉ, 1 vol.

CONGRÉGATION DES ÉVÊQUES ET DES RÉGULIERS, 1 volume.

CONGRÉGATION DU CONCILE, 2 vol.

Librairie d'Étienne REPOS, Paris.

Rome, le Souverain Pontife et l'Église ou **La COUR DE ROME** en 1869 et 1870, par Canron, 3e édition considérablement augmentée, 2 vol. in-12 : pour la France et l'Algérie, 6 fr.; — pour l'Italie, 7 fr.; — pour Rome, l'Antriche, l'Anlgeterre, la Hollande et la Prusse, 8 fr.

Année liturgique à Rome, considérée dans ses rapports avec l'histoire, la liturgie et l'archéologie; ouvrage précienx pour les heuros des offices et les renseignements sur les Eglises de la Ville éternelle. Ce volume est composé de huit grands chapitres : *Fonctions ordinaires*, *fonctions extraordinaires*, *propre des saints*, *propre du temps;* les *reliques* se trouvent groupées autour des noms de chaque église, etc.: *table alphabétique*, etc., par Mgr X. Barbier de Montault. 1 vol. in-18, *franco*. 1 fr. 25

De la Dévotion aux Agnus. In-18, du même auteur. 0 fr. 50

Petit Office des Sept-Douleurs, du même auteur. 0 fr. 50

Lettres inédites de Fénelon, 1 vol. in-12, par le même. 2 fr. 50

Rome dans sa vie intellectuelle, dans sa vie charitable, dans ses institutions populaires; réponse aux appétits piémontais, par M. l'abbé V. Postel, du clergé de Paris, miss. apostol. 1 vol. in-18 de 450 pages. 2 fr.

Rome vengée, ou la vérité sur les personnes et les choses, par Bernardin Gassiat, protonotaire honoraire. 1 volume in-12 de 424 pages, *franco*. 3 fr. 50

Le livre des Quarante-Heures d'adoration au Saint-Sacrement, suivi du 4e livre de l'*Imitatione Christi*, un joli vol. in-18. Broché, 2 fr. »

Le même, relié proprement. 3 fr. »

Manuel des chrétiens, un joli volume in-18. 1 fr. 75

Le même, relié proprement, 2 fr. 59

Bar-le-Duc, Imprimerie Contant-Laguerre.

E
d.
s,
25
50
50
50
75
50

Digitized by Google

Digitized by Google

Google